Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Rectore Magnificentissimo Serenissimo Principe Regio Friderico Avgvsto Electoratvs Saxonici Herede De Dominatv Pontificio In Reges Et Principes Post Reformationem Diminvto

Vitembergae: Creusigius, 1717

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn841312109

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn841312109/phys_0001
DFG

Fa- 1092(98)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn841312109/phys_0002
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn841312109/phys_0003
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn841312109/phys_0004
DFG

Q. D. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE REGIO

FRIDERICO AVGVSTO

ELECTORATVS SAXONICI HEREDE

DE

DOMINATV PONTIFICIO IN REGES ET PRINCIPES POST REFORMATIONEM DIMINVTO

PRAESIDE

IOHANNE GVILIELMO IANO

HISTOR. PROF. PVBL.

IPSO DIE D. MARTINI LVTHERI

QVI EST X NOVEMBRIS

A. cIↃ IↃ ccXVII

IN HONOREM ET MEMORIAM

SECVNDI IVBILAEI LVTHERANI

EX CATHEDRA LVTHERI

PVBLICE DISPVTABIT

M. CHRSTOPHORVS FRIDERICVS STEIN/

FELBACO-WVRTENBERG.

SS. THEOL. ET HISTOR. CVLT.

VITEMBERGAE, TYPIS SAMVELIS CREVSIGII.

SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

DN. EBERHARDO LVDOVICO

DVCI WVRTENBERGIAE ET TECCIAE, COMITI MONTIS-PELIGARDI, DYNASTAE HEIDENHEIMII CAESAREAE MAIESTATIS ET IMPERII NEC NON INCLVTI SVEVICI CIRCVLI GENERALI CAMPI MARESCHALLO ET TRIVM LEGIONVM CHILIARCHAE ETC.

PRINCIPI

AD AETERNITATEM NOMINIS ET GLORIAM DOMVS WVRTENBERGICAE NATO

INCOMPARABILI

HEROI

AFFERENTI HOSTIBVS TERROREM, CIVIBVS VIGOREM ADMOVENTI

INVICTISSIMO

PATRI PATRIAE

A QVO ETIAM CIVES EXTRA PATRIAM DEGENTES PENDENT

LONGE CLEMENTISSIMO

VT REGIMEN TRANQVILLVM, FELICITATEMQVE PERPETVAM HABEAT

A DEO APRECATVR DEVOTISSIME

VT SERENISSIMIS OCVLIS HASCE PAGELLAS RESPICIAT

SVPPLICAT HVMILLIME

SE SIMVL ET SVA OMNIA

EA

QVA SVBDITVM SERVVMQVE DECET

ANIMI SVBMISSIONE

CONSECRANS, TRADENS, MANCIPANS

AVTOR ET RESPONDENS

M. CHRIST. FRIDERICVS STEJN, FELBACENSIS.

SS. THEOL. ET HISTOR. CVLT.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn841312109/phys_0006
DFG

PRAEFATIO.

Nihil proximis hisce annis Pontificii insolentius iactarunt, aut maiori cum insultatione nobis obiecerunt, quam exempla Principum, qui, desertis Euangelicorum sacris, ipsorum partibus se adiunxerunt. In his nimirum, pariter ac in calamitatibus, quas ipsi, ubi rerum potiti sunt, hoc seculo nostratibus intulerunt, haud obscura crescentis potentiae suae, nostrae autem Ecclesiae labentis indicia cernere, atque adeo satis causae habere sibi uidentur, cum sacris nostris secularibus, tum uaticinio D. Lutheri, quo se pestem ac mortem Papatui allaturum, praedixit, illudendi. (*) *Sed, si rem ipsam reputes, haec omnia neque religioni nostrae quicquam detrahunt, neque malam aduersariorum causam iuuant, neque Lutheri praesagio fidem derogant. Sors illa nobis cum prima et Apostolica Ecclesia communis est, iniurias et calamitates non inferre, sed pati sueta, neque sectatorum numero et splendore, sed doctrinae ac fidei integritate, quae Christianorum propria est, florem suum metiri solita. Quare illud Apostoli* (**) *nobi dictum putamus:*

β.λέ-

(*) Vide inpr. Melfuhreri, apostatae, schedam: *Ehr und Freude der Römisch-Catholischen Kirche*, a. 1714. et P. Krausii, Iesuitae Pragensis, libellum hoc ipso anno Pragae editum, sub titulo: *Historischer Beytrag vor die zweyte Lutherische Iubel-Iahr*, eique subiunctum apobaterium *s. Freundliche Bewillkommung des herankommenden Iubel-Iahrs*.

(**) 1 Cor. I, 26, 27.

βλέπετε τὴν κλῆσιν ὑμῶν, ἀδελφοὶ, ὅτι οὐ πολλοὶ δυνατοὶ, οὐ πολλοὶ εὐγενεῖς, ἀλλὰ -- τὰ ἀσθενῆ τοῦ κόσμου ἐξελέξατο ὁ θεὸς, ἵνα καταισχύνῃ τὰ ἰσχυρά. *Quot uero, sub externa illa coetus Romani specie et amplitudine, quam cum multis aliis haereticis, imo cum ipso Paganismo et Muhamedismo communem habent, intestini morbi, et quot lethalia uulnera occultentur, alii demonstrarunt. Nos hoc loco tantum dominatus Pontificii, qui proprie* Papatus *nomine intelligitur, speciatim in Reges et Principes, detrimenta considerabimus. Atque, ut tanto clarius perspiciatur, quantopere ratio eius, post emendatam religionem immutata fuerit, et quam bene Lutheri uaticinio euentus responderit;* primum *exempla quaedam dominatus illius,* ante reformationis *tempora, ad summum gradum perducti, proferemus:* deinde *eiusdem* post reformationem *detrimenta describemus. In hoc qualiscunque opera nostra uersabitur, non, ut par pari referamus, et aduersariis nostris uicissim insultemus: sed ut diuinum beneficium, per sacrorum emendationem in summos principes, molestissimo iugo exemptos, et in integras gentes ac nationes, tot factionibus, caedibus, rapinis, et calamitatibus publicis liberatas, consulit, grata mente ac pietate concelebremus.*

SECTIO I. DE DOMINATV PAPALI IN PRINCIPES ANTE REFORMATIONEM

I. Quanta

§. I.

QVanta olim fuerit Pontificis Rom. ueneratio, quanta in ipsos Reges et summos rerum publicarum principes potestas, cum D. Lutherus docet, (a) tum acta Concilii Lateranensis proxime ante Reformationem habiti confirmant. (b) Doctrina haec, quae supremum Pontifici in Reges, praesertim Christianos, constituendos, iudicandos ac deiiciendos ius et arbitrium uindicat, ab Hildebrando siue Gregorio VII potissimum inuecta, (c) et constanter deinceps retenta atque asserta est. (d)

Pontificiorum de dominatu Papali doctrina.

(a) Lutherus in Praef. ad Theses anti-Tezelianas: *Wer war ich elender verachter Bruder dazumahl, wohl mehr einer Leich, den einem Menschen gleich, der sich solt wider des Pabsts Majestät setzen, für welcher nicht allein die Könige auff Erden, und der gantze Erdboden, sondern auch der Himmel und Hölle, (daß ich so rede) sich entsatzten, und allein nach seinen Wincken sich alle musten richten. Was und auff was weise mein Hertz dasselbe erst und andere Iahr erlitten und ausgestanden habe, und in wasserley Demuth, die nicht falscher noch ertichteter, sondern rechter Art war, wolt schier sagen Verzweiffelung, ich da schwebte, ach da wissen die sichere Geister wenig von, die hernach des Pabsts Majestät mit grosem Stoltz und Vermessenheit angriffen, wiewohl sie mit aller ihrer Kunst nicht vermocht hätten dem Pabst ein einig Härlein*

zu krümmen, wo Christus, durch mich, sein schwach und unwürdig VVerckzeug, nicht bereits ihm eine tieffe und unüberwindliche wunden gehauen hätte.

(b) In concil. Later. quod Pisanum, reformationis causa institutum, suppressit, sessione IX, tribus ante Reformationem Lutheri annis habita, Antonius Puccius oratione ad Leonem X. P. R. uerba Ps. LXXII. 2. de illo usurpare non dubitat: *omnes Reges terrae adorabunt eum, et omnes gentes seruient ei.* postea addit: *non ignari sunt homines, omnem tibi uni in coelo et in terra traditam a Domino potestatem, ut non spiritualibus tantum uiris, sed terrenis quoque huius seculi potestatibus, in causa communis boni, ius dicere non pertimescas.* et Sess. X. Stephanus Archiepiscopus in orat. d. 4. Maii anno 1515 habita: *Reges* inquit, *ad id* (pacem uniuersalem) *in compedibus magnitudinis magni Regis liga, et nobiles in manicis ferreis censurarum constringe, quoniam tibi data est omnis potestas in coelo et in terra.*

(c) Continetur illa famosissimis dictatibus Hildebrandi: *Quod solus Papa possit uti insignibus imperialibus: quod solius Papae pedes omnes Principes deosculentur: quod unicum est nomen in mundo, uidelicet Papae: quod illi liceat Imperatores deponere: quod sententia illius a nullo debeat retractari, et ipse omnium solus retractare possit: quod a nemine ipse iudicari debeat: quod nullus audeat condemnare Apostolicam sedem appellantes: quod Rom. Ecclesia nunquam errauit, nec in perpetuum Scriptura testante, errabit: quod a fidelitate iniquorum subiectos potest absoluere.* in Regesti Epist. Gregorii VII. L. II. epist. 55. Non nescio, a nonnullis, utrum Dictatus illi a Gregorio VII in Synodo Rom. A. 1076. sanciti fuerint, dubitari, quorsum uide inprimis Ioh. Launoii P. VI. Ep. 13, et Natalis Alexandri Hist. Eccl. Sec. XI. et XII. Tom. II. diss. 3. quos refutat Rechenberg. in diss. de Totatu Hildebrandino. Sed sufficit illam fuisse publicam curiae Rom. sententiam et doctrinam, quod tantum abest, ut inficientur illius Patroni, ut Gretserus dictatibus his, in Onuphrii uita Gregorii

rii VII. quam T. II. Defensionis Bellarmini inseruit, repetitis, adscribere non erubuerit: *haec omnia decreta ex iure diuino deducuntur.* Ipse etiam Baronius, ad A. 1076. n. 31. sententias istas *hactenus in Ecclesia Catholica usu receptas fuisse*, affirmat.

(d) Ita ex. gr. Augustinus Triumphus, Monachus Augustinianus sec. XIV. defunctus, in summa de potestate Ecclesiastica quaest. IX. art. 4. probaturus, *Papam Angelis esse maiorem: nulli*, inquit, *Angelo commissa est iurisdictio, et cura totius orbis; sed Papae totius orbis iurisdictio et cura est commissa.* Et Hostiensis in cap. *quid super his* de uoto et uoti redemtione, eo impudentiae progreditur, *ut per Christi aduentum omne dominium Principum infidelium translatum esse*, affirmet, *ad Ecclesiam, et in summo Pontifice, ut Vicario Christi, residere, adeoque Pontificem R. regna infidelium, quibus uoluerit fidelium, iure suo donare posse.* Taceo Panormitanum in cap. *nouit*, de iudiciis, Syluestrum, in summa de peccatis, uerbo *Papa*, et alios, quorum ipsummet Bellarminum subpudet. Vtrum uero hic multo modestior sit, quando in lib. V. de summo Pontif. C. I. ut *haeresin*, damnat sententiam, *quae negat, Pontificem, ut Pontificem, et ex iure diu. habere potestatem temporalem, et Principibus secularibus imperare posse, eosque Regnis et Principatu priuare, etiamsi illo priuari alioquin mereantur*, aliis diiudicandum relinquo. Interim tamen Bellarminus, cum hanc potestatem Pontifici *indirecte* tantum conuenire, docuerit, et alia quaedam σοφὰ φάρμακα doctrinae per se nimis crudae adhibuerit, ambitioni Sixti V. adeo non satisfecit, ut parum abfuerit, quin libri eius censura pontificia abolerentur, quod a Iesuitis sibi relatum testatur Barclaius de Potestate Papae cap. XIII.

II.

Quod uero doctrinae illi ipsa etiam facta *Facta, illis congrua in*

Impp. Henricum IV. et V.

quondam reſponderint, neminem, uel mediocriter in hiſtoria medii aeui uerſatum, fugere poteſt. Longum et ſuperuacuum eſſet, ſingula perſequi: quare nonnulla ſaltem extantiora, unde de ratione dominatus Papalis ante Reformationem iudicari poſſit, ſummatim repetemus. Primum et notiſſimum dominatus Papalis in Imperatores uſurpati exemplum praebet Henricus IV. quem, ab Hildebrando, ad cauſam coram tribunali pontificio dicendam, citatum, (a) et cum uadimonium non obiret, ſacris interdictum (b) atque a ſubditis, fidelitatis ac ſacramenti religione ſolutis, deſtitutum, (c) non prius dirarum relaxationem impetraſſe, conſtat, quam media hyeme pedes Romam profectus, imperii decus faſtui ac libidini papali proſtituiſſet. (d) cumque tali expiatione Imperium, praeter ſpem et contra uoluntatem Pontificis, recuperaſſet, non ſubditi tantum, (e) ſed ipſi etiam filii eius (f) ad rebellionem et periurium a ſancta ſede Romana ſollicitati ſunt. Ceterum Henricus V. Imperio, quo patrem exuerat, potitus, ab eadem curia Rom. cuius inſtinctu et auctoritate tam indignum facinus admiſſerat, eius praemium retulit. Nam pari execrationis fulmine percuſſus, ne eandem, ac pater, fortunam ſubiret

subiret, gratiam Pontificis cesso iure inuestiendi Episcopos Germaniae, hoc est dimidia fere Imperii parte illius potestati tradita, redimere necesse habuit. (g) In quo iure extorquendo et ad se rapiendo curia Rom. religioni non duxit pactum et iusiurandum sanctissimum, sumto etiam sacro epulo confirmatum, uiolare. (h) Taceo ignominosam picturam, qua Innocentius II. Imp. Lotharium II. uelut ante pedes suos prostratum, et imperium iure beneficiario a se accipientem, repraesentauit. (i)

(a) Lamb. Schafnaburg. ad A. 1076. p. 233. *Aderant Hildebrandi Papae legati, denunciantes Regi, ut secunda feria secundae hebdomadae in quadragesima ad synodum Romae occurreret, de criminibus, quae obiicerentur, causam dicturus: alioquin sciret, se absque omni procrastinatione eodem die de corpore sacrae Ecclesiae Apostolico anathemate abscindendum esse.*

(b) Verba feralis illius formulae papalis, quae succedentibus pontificibus instar exemplaris fuit, haec sunt: *Heinrico Regi, filio Heinrici, quondam Imperatoris, qui contra tuam Ecclesiam inaudita superbia insurrexit, totius regni Teutonicorum et Italiae gubernacula contradico, et omnes Christianos a uinculo iuramenti, quod sibi fecerunt, uel facient, absoluo, et ut nullus ei, sicut regi, seruiat, interdico. Praeterea uero, quia monita mea, imo tua--- contempsit, et se ab Ecclesia Dei separauit, eum anathematis uinculo colligo etc.* Lib. III. ep. 6. et apud Platinam in uita Gregorii VII. Huius excommunicationis dum meminit Otto Frising. Lib. VI. Chron. c. 35. *lego*, inquit, *et relego Romanorum regum et Imperatorum gesta, et nusquam inuenio, quenquam eorum ante hunc a Rom. Pontifice excommunicatum uel regno priuatum.*

(c) Lamb.

(c) Lamb. Schafnaburg ad A. 1076. p. 235. *facta est igitur conspiratio non modica, et magis ac magis indies roborabatur; ea re maxime ausum et fiduciam praebente, quod excommunicatum esse regem a Rom. Pontifice, frequentes ab Italia nuncii quotidie deferebant.* Nonnullis interiectis, hanc conditionem a rebellibus Imperatori propositam fuisse, ostendit: *ut si ante diem anniuersarium excommunicatione non absoluatur, absque retractatione in perpetuum causa ceciderit, nec legibus deinceps regnum repetere possit. Vtrum oblatam conditionem gratanter amplectatur, et Rom. Pontifici per omnia subditum se dictoque obtemperantem fore polliceatur, hinc se experimentum capturos, si omnes, quos ille excommunicauit, extemplo a conuictu contubernioque suo amoueat etc.*

(d) Ignominiosum Imp. Henrici iter Romanum, et contumelias, quibus a Pontifice affectus est, omnem prope fidem superantes, pluribus exponit idem Lambertus Schaf. ad a. 1077. et Sigebertus Gembl. ad e. a.

(e) Extat Epistola Gregorii VII. *ad uniuersos Christianos*, quae prima est in Registri L. IV. qua subditos Imperatoris non tantum obsequii religione absoluit, sed et ad rebellionem cohortatur. Geminae huic sunt epistolae II. et III. quibus Herimannum episcopum Metensem omnesque alios Episcopos pariter ac Laicos diris deuouet, *si Henrico excommunicato communicare ausi fuerint.* Cumque nonnulli, mandatis hisce obtemperantes, rebellarent, duci illorum Rudolpho diadema cum tali inscriptione misit: *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho*, teste Ottone Fris. L. I. de Gestis Frid. c. 7.

(f) De rebellione filiorum, inprimis Henrici, postea Imperatoris, patrem Henricum IV. ex sententia Pontificis Rom. exauctorantis, legenda est huius ipsius epistola ad Philippum, Franciae Regem, apud Vrstisium p. 396. quam memorat Otto Fris. L. VII. Chr. c. 12. et *miseriarum eius tragoediam continere*, inquit, *quae saxeas quoque mentes ad mutabilium rerum aerumnas contemplandas ac deplorandas emollire posset.*

Eiusdem

Eiusdem calamitatis narrationem orsurus Helmoldus L. I. c. 33. ita praefatur: *quantas contumelias, quanta opprobria uir iste magnificus* (Imp. Heinricus a filio exauctoratus) *in illis diebus pertulerit, sicut relatu difficile, ita auditu lamentabile est.* Deteſtantur facinoris indignitatem ipſi antiqui et proximi illorum temporum ſcriptores, licet tyrannidi Papali alioquin iam ſatis aſſueti, quorum ſcripta et iudicia Goldaſtus in opuſculis Anti-Gregorianis Hannouiae 1611. ed. ex inſtituto collegit, praecipue Auctor uitae Heinrici IV coaeuus, apud Vrſtiſium, quem, iam olim Auentino aliiſque laudatum, et A. 1518. Auguſtae editum, perinepte Baronius pro recentiſſimo Reineccii commento uenditat.

(g) Tabulae ceſſionis extant apud Albericum ad A. 1122. et inde repetuntur a Goldaſto, Conringio, Leibnizio, aliiſque. Hinc factum eſt, ut omnes illi Principes Germaniae, qui Eccleſiaſticorum nomine comprehenduntur, ſaltem ratione perſonae ac dignitatis ſuae, Imperatoris iuriſdictioni ſubtraherentur.

(h) Paſchalis II. P. cuſtodia liberatus, Henrico, inter Imperatores Germanicos IV, inter Reges V, Romae A. IIII. inaugurando, per chirographum cauerat, de iure illo Imperatoris non amplius turbando, cuius neruus his maxime uerbis continetur: *praeſentis priuilegii pagina confirmamus, ut regni tui Epiſcopis et Abbatibus libere electis inueſtituram uirgae et annuli conferas: poſt inueſtituram uero canonice factam, conſecrationem accipiant ab Epiſcopo, ad quem pertinuerit. Si quis autem a Clero et a populo, praeter tuum aſſenſum electus fuerit, niſi a te inueſtiatur, a nemine conſecretur.* apud Albericum ad A. III. et Baronium ad e. a. n. XXV. Quam ſancte pactum iſtud confirmatum fuerit, Petrus Diaconus Chron. Caſſin. L. IV. c. 40. his uerbis oſtendit: *cum ad hoſtiae confractionem ueniſſet, partem ipſe accipens, partem Imperatori contradens, dixit: ſicut pars iſta uiuifici corporis diuiſa eſt, ita diuiſus ſit a regno Chriſti et Dei, quicunque pactum iſtud dirumpere tentauerit.* Neque id diffitetur Baronius

nius ad h. a. n. XXVI. Sed uix in Germaniam reuersus fuerat Imperator, cum Papa coacto concilio, pactum illud irritum declararet, et Imperatorem ipsum sacris interdiceret, ut referunt Otto Frising. L. VII Chron. cap. 14. Helmoldus Chron. Slau. Lib. I. cap. 40. aliique. Ipsum concilii Lateranensis decretum in hac causa contra Imperatorem editum exhibet Pithoeus in obseru. ad Iuonis epist. p. 718. et Baronius ad a. 1112. n. 8. conf. Meibomii dissert. de iure inuestiturae Episcopalis, ImperatoribusRom. a Pontificibus R. per uim et tyrannidem adempto

(i) Vide de illa Radeuicum de Gestis Frid. I. L. I. c. 10.

III.

in Fridericum I.

Ab Imp. Friderico I. Aenobarbo Adrianus IV. ut strepam sibi, ex equo descendenti, teneret, quasi iure suo postulauit, (a) Imperiumque ut beneficio suo debitum agnosci uoluit. (b) Alexander III. eundem, post grauissima bella ciuilia, maximo opum et sanguinis impendio gesta, a suis destitutum, a. 1176. ad iniquas pacis condiciones accipendas adegit, (c) et, si non collum eius pedibus, auctoritatem certe ac dignitatem Augustam fastu et arrogantia Papali conculcauit. (d)

(a) Helmoldus in Chron. Slau. Lib. I. cap. 80. ad a. 1155. *Veniente eo* (Adriano IV.) *in castra, rex* (Fridericus I.) *festinus occurrit, et descendenti de equo tenuit strepam duxitque eum per manum in tentorium. Facto autem silentio, locutus est Dominus Bauebergensis Episcopus uerbum ex ore Regis et Principum, dicens: Honorabilem Sanctitatis tuae praesentiam, Apostolice Pontifex, --- laetantes suscipimus ----- Ad haec Dominus Papa respondit:*

respondit: uerba sunt, frater, quod loqueris: Dicis Principem tuum condignam beato Petro exhibuisse reuerentiam. Sed beatus Petrus magis uidetur inhonoratus: cum dextram deberet tenere strepam, tenuit sinistram. Haec cum per interpretem Regi nunciata fuissent, humiliter ait: dicite ei, quia defectus hic non fuit deuotionis, sed scientiae, non enim tenendis strepis magnopere studium dedi: enim uero ipse, ut memini, primus est, cui tale obsequium dependi. Cui Dominus Papa: si quod facillimum fuit, propter ignorantiam neglexit, qualiter putatis, expediet maxima? Tunc Rex aliquantisper motus, ait: uellem melius instrui, unde mos iste inoleuerit, ex beneuolentia, an ex debito? Si ex beneuolentia, nil causari habet Dominus Papa, si uacillauerit obsequium, quod de arbitrio, non de iure subsistit; sin ex debito, quid interest inter dextram strepam et sinistram, dummodo seruetur humilitas, et curuetur Princeps ad pedes summi pontificis. Diu itaque acriterque disputatum est, postremo discesserunt ab inuicem sine osculo pacis. Timentes ergo ii, qui columnae regni esse uidebantur, ne forte rebus inactis, frustra laborassent, multa persuasione euicerunt cor Regis, ut Dominum Papam reuocaret in castra: quem redeuntem suscepit Rex integrato officio. Eadem fere uerba repetit Alb. Stadensis ad a. 1155. Idem officium cum aliis consimilis reuerentiae signis sibi ab hoc Imperatore praestitum, Alexander III, in ep. ad Rogerum Eboracensem et Hugonem Dunelmensem, Episcopos, a. 1177. scripta apud Rogerium Houedenum, in Ann. Angl. P. II. p. 569. et Cherubinum in Bullarii M. Tom. I. p. 73. his uerbis refert: *Nobis illuc uenientibus praefatus Imperator extra Ecclesiam obuiam uenit, et dextro latere nostro suscepto, nos in Ecclesiam introduxit, et peractis Missarum soleniis nos usque ad ipsius Ecclesiae portam dextrauit, et cum ascenderemus palafredum nostrum ibi paratum, stapham tenuit, et omnem honorem et reuerentiam nobis exhibuit.* Istam consuetudinem Pontifices Rom. progressu temporis in legem conuerterunt, quae in sacrarum Ceremoniarum Lib. I. sect. 2. c. 3. his uerbis continetur: *Cum Papa per scalam, quam superius diximus, ascendit equum,*

equum, maior Princeps, qui praesens adest, etiamsi Rex esset aut Imperator, stapham equi papalis tenet, deinde ducit equum per frenum aliquantulum. Si Imperator aut rex soli essent, id est, non esset alius rex, soli equum ducerent cum dextra manu. Sin uero esset alius Rex, dignior a dextra, alius a sinistra frenum teneret. et paulo post additur: *Si uero Pontifex non equo, sed sella ueheretur, quatuor maiores Principes, etiamsi inter eos Imperator aut quiuis maximus Princeps adesset, in honorem Saluatoris Christi sellam ipsam cum Pontifice humeris suis portare aliquantum debent.*

(b) Collati Imperii beneficium Adrianus IV, in literis ad Imperatorem datis, his maxime uerbis commemorauerat: *Debes enim, glorioſiſſime fili, ante oculos mentis reducere, quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit et honoris, et qualiter imperialis insigne coronae, libentiſſime conferens, benigniſſime gremio suo tuae sublimitatis apicem studuerit confouere. Neque tamen poenitet nos desideria tuae uoluntatis in omnibus impleuiſſe, sed si maiora beneficia excellentia tua de manu nostra suscepiſſet, si fieri posset, --- non immerito gauderemus.* Hoc cum Imperator et proceres Imperii legatis pontificiis, ut falso et arroganter scriptum, exprobrassent, unus ex iis respondere non dubitauit: *a quo ergo habet, si a Domino Papa non habet, Imperium?* Quod dictum tanta Principum indignatione exceptum esse, refert Radeuicus L. I. c. 10. *ut unus eorum, uidelicet Otto Palatinus, Comes de Boioaria, prope exerto* (stricto) *gladio ceruici illius mortem intentaret, et Fridericus auctoritate sua interpoſita aegre tumultum compescceret.*

(c) Illas pacis condiciones, a pleriſque omnibus antiquis pariter ac nouiſſimis huius hiſtoriae ſcriptoribus plane, quod mireris, omiſſas, aut ſaltem non ſufficienter expoſitas, optime docent tabulae, quas ex autographo Rom. in mole Hadriani ſeruato, deſcriptos edidit Ant. Pagi in Critica ad Annal. Baron. A. 1176. n. 6. In his legati Caeſarei, ipſius Imperatoris nomine iurato promittunt: *Quod Dominus Imperator*

rator et ſui Dominum Papam Alexandrum recipient, (agnoſcent) *reuerentiam exhibebunt, et ueram pacem relinquet Dominus Imperator Domino Papae Alexandro, et ſucceſſoribus ſuis, et toti Rom. Eccleſiae, et praefecturam urbis, et terram comitiſſae Mathildae reſtituet ei, et quod ordinatum eſt de Calixto, ex parte ſua obſeruabit.-- -- De regalibus uero beati Petri et aliis poſſeſſionibus, quas D. Imperator abſtulit, uel ſui, uel alii fauore ipſius, iuramus, quod ipſum faciemus iurare, quod ſcilicet ea, quae habet de praedictis ipſe, uel ſui, bona fide reſtituet, de his, quae alii habent, bona fide operam dabit ſtudioſam, ut ſimiliter reſtituantur*, cetera.

(d) Vtrum Alexander III. Friderici I, coram ſe proſtrati, collum pede preſſerit, alii diſputent. Hoc ſaltem certum exploratumque eſt, Imperatorem Pontifici uictas manus dediſſe, et minus digne ac honorifice ab illo tractatum eſſe. Nam cum, poſt pacem, iis, quas dixi, condicionibus, per legatos factam, Imperator ipſe Venetiis in conſpectum Alexandri ueniſſet, et, ſicut conuenerat, in terram coram eo procidiſſet, Papa tam diu illum ad pedes ſuos iacere paſſus eſt, ut haud exigua id ſpectantium indignatio ſuboriretur: quam inprimis publica et minaci uoce prodidit Ditericus Marchio Luſatiae, Conradi M. Marchionis Miſnenſis, communis illius glorioſiſſimorum Principum Saxonicorum parentis, filius, Imperatoris comes et amicus. Digna ſunt, quae de illa hic legantur uerba Chronici Lauterbergenſis, et ad argumentum hoc illuſtrandum magnopere pertinent: *Anno MCLXXVII. Alexander Papa in uigilia B. Iacobi, praeſentibus Cardinalibus et infinita multitudine Epiſcoporum, et Abbatum, et Principum ſecularium, et populorum, Venetiis ante Monaſterium S. Marci Imperatorem in oſculo reconciliationis ſuſcepit, mortuo iam Paſchali Anti-Papa, et Iohanne, qui ei ſucceſſit, depoſito. Et haec dies reconciliationis ab ipſo Papa et Imperatore et Clero et populo ſolennisſime peracta eſt. Huius autem concordiae reformandae praecipuus cooperator fuit VVichmannus Archiepiſcopus, cuius induſtria Imperatoris animoſitas ad tantam manſuetudi-*

tudinem deducta est, ut in condemnationem sui erroris coram summi Pontificis pedibus prosterneretur. Fertur autem, quod cum subleuandi eum Papa moram faceret, Fridericus Orientalis Marchio, qui cum Imperatore aderat, quasi cum querela et redargutione exclamauit: cur Imperialem auctoritatem tantae iniuriae subiecisset? Papa uero, idioma Teutonicum non intelligens, inquisiuit, quid diceret Allemannus? quod cum didicisset, festinus accedens Imperatorem subleuauit, et ad osculum suum erexit. Eodem tempore acciderunt, quae Alexander III, de Friderico I, ad Episcopos Anglicanos scripsit, uerbis paulo ante recitatis. Itaque non omni ex parte subscribere possumus coniecturae Stephani Baluzii, V. C. in uita Bardini siue Gregorii VIII, qua notissimam illam picturam Venetam pariter ac Naucleri et aliorum narrationem de Imperatore pedibus Pontificis Rom. conculcato, nonnisi insignem huius uictoriam significare putat.

IV.

in Henricum VI, Philippum, et Ottonem IV.

Henrico VI, Friderici I filio et successori, Coelestinus III diadema Augustum pedibus suis imposuit, et uicissim decussit. (a) Philippum Innocentius III, sacris pariter ac imperio interdixit, (b) aemulum uero eius Ottonem IV, ad obedientiam iurato sibi promittendam, (c) et ad luculentos terrarum tractus ab imperio ad papalem ditionem transferendos cedendosque adegit. (d) Sed cum Imperator ea, quae, a Pontifice circumuentus, contra iura Imperii promiserat, praestare non posset, (e) consueta sedi Romanae

nae

nae arma aduersus eum expediuit, et dirarum formulam promulgauit. [f]

(a) Rogerius in annalib. Angl. ad a. 1191. *Sedebat Dominus Papa in cathedra pontificali, tenens coronam auream imperialem inter pedes suos, et Imperator inclinato capite accepit coronam, et Imperatrix similiter de pedibus Domini Papae, Dominus autem Papa statim percussit cum pede suo coronam Imperatoris, et deiecit eam in terram, significans, quod ipse potestatem eiiciendi eum ab Imperio haberet, si ille demeruerit. Sed Cardinales statim accipientes coronam, imposuerunt eam capiti Imperatoris.* Quae uerba non sine approbatione repetit Baronius ad an. 1191. num. X. et addit: *ut id fixum menti Imperatoris haereret, nempe dare, custodire, conseruare, auferre, si causa exigeret, imperium, esse in uoluntate Romani Pontificis, eiusmodi uoluit commonuisse exemplo.*

(b) Godofredus Monach. ad a. 1201. *Venit Coloniam --- Guido Cardinalis, Praenestinus Episcopus, a sede missus apostolica, Philippum et quoslibet eius fautores excommunicatos pronuncians, et ad determinatum diem ad colloquium omnes Episcopos inuitans regni Teutonici, uenientes, ut obedirent Ottoni, ex autoritate praecipiens apostolica, nolentes autem obedire, excommunicans.*

(c) Formula iurisiurandi extat in Registro Innocentii III Ep. 77. qua Otto se pontifici hoc modo obstringit: *Tibi etiam Domino meo, Innocentio Papae, et successoribus tuis omnem obedientiam et honorificentiam exhibebo, quam deuoti et Catholici Imperatores consueuerunt sedi apostolicae exhibere.*

(d) In eodem Regist. extat sacramentum ab Ottone post mortem Imp. Philippi, Romae coronando, A. 1209. his uerbis praestitum: *Possessiones etiam, quas Ecclesia R. recuperauit, ab antecessoribus nostris, seu quibuslibet aliis ante detentas, liberas et quietas sibi dimittimus, et ipsam, ad eas retinendas bona fide promittimus adiuuare; quas uero nondum recuperauit, ad recuperandum pro uiribus erimus adiutores, et quaecunque ad manus*

nus noſtras deuenerint, ſine difficultate ei reſtituere ſatagemus. Ad has pertinet tota terra, quae eſt a Radicafano, usque Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, terra Comitiſſae Mathildis, Comitatus Britennorii, Exarchatus Rauennae, Pentapolis, cum aliis adiacentibus terris, expreſſis in multis priuilegiis Imperatorum et Regum, a tempore Ludouici, ut eas habeat Romana Eccleſia in perpetuum, cum omni iurisdictione, diſtrictu et honore ſuo. Ad haec pacta nouiſſime prouocatum eſt in Diſſert. hiſt. de Summo Apoſtolicae ſedis Imperio in urbem comitatumque Comachi §. 46.

(e) Godefridus Monach. ad a. 1209. *Quo conſecrato, oritur inter eos controuerſia propter Marchiam Dominae Mathildis --- quae ad ſenilem perueniens aetatem, circumuenta a Papa, tunc temporis Marchiam, imperium attinentem, quam regebat, magiſtratibus inſciis et inconſultis, beato Petro tradidit. Quae tamen poſt mortem eius ab Imperatoribus ſedi Apoſtolicae ablata, et Imperio reſtituta eſt. Hanc ergo terram Papa* (Papae) *ante conſecrationem ſibi reſtitui poſtulans,* (poſtulanti) *Imperator, ut nouus homo et rei neſcius, annuit et promiſit: ſed poſt conſecrationem a magiſtratibus reuocatus et prohibitus minime reſtituit.* Cum Papa promiſſa urgeret, Imperator legatis eius in hunc modum reſpondit: *Si ſummus Pontifex Imperii iura iniuſte poſſidere deſiderat, a ſacramento, quod tempore conſecrationis meae, ad dignitatem Imperii me iurare compulit, abſoluat, quod uidelicet diſperſa imperii iura reuocarem,* ut eſt apud Matthaeum Pariſ. ad a. 1211.

(f) Matthaeus Pariſ. l. d. *Idem Papa in ipſum Imperatorem ſententiam excommunicationis tulit, atque uniuerſos tam Alemanniae, quam Imperii Rom. magnates, ab eius fidelitate abſoluit.*

V.

in Fridericum II.

Denique aduerſus Fridericum II. Antiſtitum Romanorum uiolentia ad ſummum gradum aſcendit,

scendit, et nihil intentatum reliquit, ut summa Imperii potestas illi, quo iure quaue iniuria, diuinis humanisue legibus conculcatis, eriperetur. Parum erat Gregorio IX, Imperatorem, odio et inuidia potius, quam ulla idonea causa (a) sacris interdicere, et subditos ad rebellionem concitare: ipsum quoque filium eius Henricum cum patre commisit, atque, ut rebellibus ducem se praeberet, adduxit. [b] Sed cum consilium illud non succederet, a. 1239. noua execratione Imperatorem deuouit, [c] quam Innocentius IV. a. 1245. in concilio Lugdunensi, licet sine huius consensu, multo atrociori formula repetiit. [d] Atque ut sententia aduersus Fridericum lata executioni mandaretur, [e] nouum Regem a Germaniae Principibus eligendum curauit, et militiam sacram, nomine quidem contra Saracenos, reipsa contra Fridericum Imperatorem indixit, [f] ut qui cum ipso Soldano, Saracenorum Principe, aduersus Imperatorem conspirare cuperet, licet hunc, Papa ipso religiosiorem, ad fidem pacemque uiolandam frustra sollicitarit, (g) non sine maximo Christianorum offendiculo. (h) Neque prius Flamines Rom. conquieuerunt, quam florentissimam Imperatorum Sueuicorum familiam sibi adeo

adeo inuisam, (i) ictu carnificis extinctam, (k) totam uero Germaniam in partes et factiones distractam, caedibus bellisque ciuilibus exhaustam, ad ἀναρχίαν denique et uastitatem redactam (l) uiderent. In his curiae Rom. actionibus, Antichristi regnum non forte nostrates post Reformationem demum quaesiuerunt: sed iam illo tempore Imperator (m) et ipsi sacri ordinis homines (n) agnouerunt.

(a) Conradus Vrsperg. ad a. 1228. p. 337. *Hic* (Gregorius IX,) *tanquam superbus primo anno Pontificatus sui coepit excommunicare Fridericum Imperatorem pro causis friuolis et falsis.* Veram causam Auentinus L. VII. p. 411. 412. his uerbis aperuit: *Eius* (Imp. Friderici II.) *potentia, uires, prudentia, magnitudo animi, rerum bellicarum peritia, uicinitas* (*nam in Italia contra morem ueterum Imperatorum habitabat, Germaniam per filium administrabat, bis duntaxat ex Italia in Germaniam egressus,*) *formidolosa atque suspecta fuere Romano Sacerdotum senatui. Quod Gregorius IX. Pont. Max. non it inficias, sed ingenue fatetur: uisum est Flaminibus Romanensibus Imperium germanum magis florere, quam ipsis utile foret. Placuit id contundere, atque discordia non solum debilitare, sed in cineres quoque atque fauillas redigere, et Fridericum huncce a fastigio rerum humanarum deturbare.*

(b) Godefridus ad a. 1234. *Rex Henricus Bobardiae conuentum quorundam Principum habuit, ubi a quibusdam nefariis consilium accepit, ut se opponeret Imperatori, Patri suo, quod et fecit. Nam ex tunc coepit sollicitare, quocunque potuit, minis, prece et pretio, ut sibi assisterent contra Patrem, et non paucos inuenit.* Quis autor fuerit *nefarii* illius *consilii*, accipe uerbis Cunradi de Fabaria in lib. de casibus S. Galli c. 16. apud Goldastum rer. Ale-

Alemann. T. I. p. 85. *Domino Imperatore Friderico -- -- in ultra marinis pro recuperatione sepulchri Dominici, labore maximo dante operam, Gregorius IX, Romanae urbis Pontifex, modis, quibus poterat, elaborabat, ipsum ab imperio perturbare, filiumque suum Henricum regem, concitatis ad hoc Principibus Alemanniae quibusdam praecipuis ac maioribus, Episcopis, Archiepiscopis, ac Baronibus in hoc assentientibus. Horum praecipue Dux Bauariae praebuit assensum et consilium, palliatione fallaciae, quam erga regem tunc temporis habuisse uisus est. -- -- Huius itaque consilio Ducis et aliorum Principum, Rom. Pontifex Cardinalem misit ad machinationem discordiae ac perturbationis in regem et principes, et qui excommunicationem a Papa factam manifestaret, intendens, quia sic leuius ad electionem regis noui consentirent, perturbato patre et filio.*

(c) Alb. Stadensis ad a. 1239. *Papa Gregorius Imperatorem Fridericum in coena Domini, quae erat IX. Aprilis, extinctis candelis anathematizauit, ita dicens: excommunicamus et anathematizamus, auctoritate Patris et Filii et Spiritus S. et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et nostri, Fridericum, dictum Imperatorem, pro eo, etc.* Add. Matth. Paris. ad h. a. p. 329.

(d) Matth. Paris. ad a. 1239. *Dominus Papa --- in Imp. Fridericum talem sententiam excommunicationis in pleno concilio, non sine omnium audientium et circumstantium stupore et horrore, terribiliter fulgurauit: Innocentius, Episcopus, Seruus seruorum Dei etc.*

(e) Albertus Stad. ad a. 1245. *Interea Papa sollicitari fecit Principes, quos ad Imperium regendum credidit idoneos, ut aliquis eorum onus Imperii sumeret, promittens ei, quicunque Imperium assumeret, consilium et auxilium pariter ac fauorem. Tandem Henricus Landgrauius, cognomento Raspe, multis coactus precibus, imperium accepit,* et ad A. 1246, Henricum hunc, propterea, quod a Principibus Ecclesiasticis, Papae obnoxiis, electus erat, *regem Clericorum* (*Pfaffen König*) dictum fuisse, ostendit.

(f) Alb. Stad. ad a. 1246. *et subito crux contra omnes infideles a Moguntino solenniter praedicatur, et omnis illa Principum et nobilium collectio crucis charactere insignitur.*

(g) Alb.

(g) Alb. Stad. l. d. *Etiam ad Soldanum Papa nuncios destinauit, eum intendens a familiaritate abstrahere et amicitia Friderici quondam Imperatoris. Et Soldanus literis benigne receptis, Graeca lingua Papae rescripsit: --- Sed Papa, quem confirmet Deus, scit, quod inter nos et Imperatorem iam dudum fuerit familiaritas et concordia perfecta a tempore Soldani, Patris nostri, -- -- et adhuc inter nos et praedictum Imperatorem est, sicut scitis. Vnde non licet nobis, aliqua componere cum Christianis, nisi prius habuerimus super his ipsius consilium et assensum.*

(h) Conradus Vrspergensis, p. 339. cum nuncios Papae ad Soldanum missos memorasset, exclamat: *Quis, talia facta recte considerans non deploret et detestetur, quae indicium uidentur et quoddam portentum ac prodigium ruentis Ecclesiae?*

(i) Quam capitali odio Pontifices Rom. omnes Friderici II. posteros persecuti sint, praeter alia docent literae Alexandri IV. ad Archiepiscopos, Moguntinum, Treuirensem et Coloniensem, a. 1256. datae, quibus electionem Cunradini *sub excommunicationis poena* interdicit, et interdicti sui hanc reddit rationem: *Nam in hoc prauo genere, patrum in filios, cum sanguine deriuata malitia, sicut carnis propagine, sic imitatione operum nati genitoribus successerunt. -- - Vita namque et gesta praedecessorum peruersa iniquitatem praenunciant successoris, nec horribilis et scelesta eorum memoria quicquam boni de ipsorum posteritate credere et sperare permittit, de colubro quidem egreditur regulus, et arbor mala noxios fructus profert.*

(k) Notissimum est, Conradinum, Imp. Friderici II nepotem, cum regnum auitum, a Pontificibus Rom. Carolo Duci Andegauensi donatum, armis repeteret, ab hoc a. 1268. uictum, captum, et consilio Clementis IV. decollatum esse, de quo Albertus Argent. ad h. a. p. 98: *Scripsit autem Carolus Clementi, tum Papae existenti, quid faciendum esse de Cunradino capto. Qui rescripsit eidem, quia ei fauebat: Vita Cunradini, mors Caroli; mors Cunradini, uita Caroli. Quo scripto uiso, statim Carolus Cunradinum cum Duce Austriae et ceteris decollauit.* Et in hoc Cunradino tota Imperatoris Friderici II progenies extincta est,

non

non sine Pontificiorum tripudio et insultatione, quam Salla Malaspina, a Stephano Baluzio T. VI. Miscell. ed. Lib. VI c. 16. his uerbis declarauit: *Posteritas igitur Friderici, cuius aemula quasi fuit transgressio genitoris, tanquam succedens criminibus auitis, euanuit, nullo de suo satellitio superstite remanente. Infecerat enim suae propagationis riuulos Friderici dira contagione nequitia, et in traducem generationis suae materiam sceleris originalem traduxerat, et exquisitae malitiae incentiuum. Pereunt aquilae pulli, et eorum pullulatio, locusque confidentiae perenniter desolatur. Radix non generat ulterius Friderici, nec serpens ulterius sibilat, nec absorbet suae commentationis effectum, nec uitiosa cupidus frendet amplius detentione possessor. Arbor huiusmodi non facit plus surculos, neque floret, nec fructus producit ulterius ualituros. Ruit irreparabiliter domus, et machina tota conuellitur, eiusque successio suae perennis desolationis incommoda perenniter deplorabit.*

(l) Non male de causis interregni Germanici iudicat Chr. Lehmannus Chron. Spir. L. V. c. 92. *diß Unheil alles ist ursprünnglich vom Pabste hergeflossen, daß er Kayser Friederichen mit Krieg, und listigen Practicken angefochten, hernacher die Fürsten des Reichs wider denselben zum Ungehorsam verhetzet, zu meineyd und überfahrung geschworner Pflicht und Treu, und dahin verleitet, daß sie andere zu Königen erwehlet, über welche Wahl grose Uneinigkeit und Zwytracht der Fürsten unter sich selbsten erwachsen, daraus öffentliche Feindschafft und Krieg zwischen denselben in allen Landen entstanden, niemand dem andern weichen oder etwas bevorgeben wollen, auch wenig die durchs Pabsts anstifften erwehlte Könige geehret und gefürchtet. etc.*

(m) Argumentum literarum, quas Imp. Fridericus II. de dominatu Papali ad Principes Germ. scripsit, Auentinus Annal. Boi. L. VII. p. 416. his uerbis recenset: *Pontifices R. auctos diuitiis et dignitate a se atque ceteris Imperatoribus, aemulos esse pertinacissimos omnium Regum et Principum, neque parem ultra ferre posse. Manibus pedibusque noctes diesque id eos conari, ut non tam se, quam sacro sancto Romano imperio tanquam capite oppresso, facile ceteris membris omnibus seruitutem imponant: affecta-*

re eos dominationem, atque diuinitatem, nempe ut ab omnibus haud aliter, imo magis, quam Deus timeantur. Nam multos Anti-Christos ineſſe Romanenſibus illis, nec ullos alios, quemadmodum opera oſtendunt, exitio Chriſtianae religioni eſſe. Se quidem optime ſentire de Chriſto, atque eius religione, praedicat, nihilque magis cupere, quam ut ſuo tempore respubl. Chriſtiana priſtinam maieſtatem, ſimplicitatem et pacem recuperet, quod fieri nequaquam poteſt, niſi ſpinae eradicentur, h. e. ambitio, ſuperbia, faſtus, luxus ſacerdotum Romanorum, ſubtractis opibus atque diuitiis, extirpentur radicitus. Namque haec, perniciem eſſe religionis, adeo, ut homo ille, qui dicitur Papa, diuitiis nimium auctus, maximo pietatis Chriſtianae detrimento, omnia ſibi licere, more tyrannorum peſſimorum, putet, rationem actuum nemini, quaſi ſit Deus, reddere uelit: Id, quod ſoli Deo conuenit, uſurpat, ſe nec errare nec ulla mendacii religione adſtringi poſſe, credi ſibi impudentiſſime, ſimulque imperioſe, poſtulat.

(n) In his eminet Eberhardus Archiepiſcopus Salisburgenſis, qui oratione, in conuentu epiſcoporum et procerum Bauariae habita, curiae Rom. indolem hoc modo deſcripſit: *Sub pontificis maximi titulo, paſtoris pelle, lupum ſaeuiſſimum, niſi caeci ſumus, ſentimus. Romani flamines arma in omnes habent Chriſtianos, audendo, fallendo, et bella ex bellis ſerendo magni facti, oues trucidant, occidunt, pacem, concordiam terris depellunt, inteſtina bella, domeſticas ſeditiones ab inferis eliciunt, indies magis atque magis omnium uires debilitant, ut omnium capitibus inſultent, omnes deuorent, uniuerſos in ſeruitutem redigant. Non pontificis more gregi conſulunt, ſed potius immanitate tyranni licentia debachantur: iuſtitia rareſcit, impietas, auaritia, cupiditas honorum, pecuniae ſtudium, libido crebreſcit. Inopes et boni praedae ſunt ſceleratis, ac diuexantur undique ab iniuſtis, ſoli autem mali opulenti ſunt. Chriſtus inimicos odio habere uetat, eosdem amari praecipit, de hiſce promereri, fidem hoſtibus ſeruare, beneficiis maleficia expiare docet. Romanenſes contra, ſancta uiolare, foedere, Dei nomine ſacrato, ad fallendos homines abuti, bene meritis ingratos eſſe, malefactis beneficia compenſare, bellare, litigare, defraudare, prodere, decipere, ſub magna pietatis ſpecie iubent: diuinae maieſtati, coeleſti*

coelesti prouidentiae, naturae repugnare, supremae maiestati a Deo O. M. constitutae resistere nos, uolunt. Hildebrandus ante annos centum atque septuaginta primus, specie religionis, Antichristi imperii fundamenta iecit: hic bellum nefandum primus auspicatus est, quod per successores hucusque continuatur. Primo illi Imperatorem a comitiis Pontificalibus extrusere, ea ad populum et sacerdotes transtulere: deinde et his ludibrio habitis atque explosis, nunc et nos in ordinem redigere atque seruitutem conantur, ut soli regnent. Capti iam Imperii consuetudine, pensitatis suis et aduersariorum uiribus, occasione rapiendae dominationis et opprimendae libertatis Christianae, specioso ecclesiasticae constituendae libertatis fuco, utuntur. Credite experto, non cessabunt, donec Imperatore in ordinem redacto, Romani Imperii honore soluto, pastoribus ueris, qui pascant, oppressis, canibus, qui latrare queant, sublatis, per hunc morem omnia extinguant aut occidant. Ideo omnia turbare atque permiscere uolunt. Sed dominari uel ingratis contendunt. et paulo post: *flamines*, inquit, *illi Babyloniae soli regnare cupiunt, ferre parem non possunt, non desistent, donec omnia pedibus suis conculcauerint, atque in templo Dei sedeant, extollanturque supra omne id, quod colitur: fames opum, sitis honorum inexplebilis est: quo plura auido contigeris, eo plura appetit: porrige digitum, et manum concupiscet. Licentia omnes sumus deteriores. Qui seruus seruorum est, dominus dominorum, perinde ac si Deus foret, esse cupit: sacros coetus atque concilia fratrum, imo dominorum suorum aspernatur: timet, ne eorum, quae aduersus auspicia, leges, intercessiones indies magis atque magis gerit, rationem reddere cogatur: ingentia loquitur, quasi vero Deus esset: noua consilia sub pectore uolutat, ut proprium sibi constituat imperium: leges commutat, suas sancit, contaminat, diripit, spoliat, fraudat, occidit perditus homo ille, (quem Anti-Christum uocare solent) in cuius fronte contumeliae nomen scriptum est: Deus sum, errare non possum, in templo Dei sedet, lateque dominatur.* apud eund. Auent. p. 420.

VI.

Post interregni tempora, illi Imperatores a fulmi- *in Impp. post interregnum.*

fulmine Iouis Capitolini tutissimi fuerunt, qui quam minime sedi eius appropinquarunt. Eo spectabat lex Pontificis Rom. post Sueuicos Imperatores ex utraque Sicilia, loco nimis sibi uicino, eiectos, lata, ne quisquam amplius simul regnum Neapolitanum et Imperium capesseret, (a) quam ipsi Carolo V. ad Imperium adspiranti adhuc obiectam fuisse, constat. Ita uidelicet liberior potestas erat Seruo seruorum, se supra omne, quod Deus nominatur, efferendi. Qua tam impotenter abusus est Bonifacius VIII, ut, cum anno 1300. primum Iubilaeum, hoc est, indulgentiarum mercatum, institueret, solenni ritu se supremum Imperii dominum declararet. (b)

(a) Clemens IV. Pontifex Carolum Andegauensem, in Italiam euocatum, Siciliae atque Neapolis regem ea conditione appellauit, ut accepti beneficii nomine Ecclesiae Romanae quadraginta aureorum millia quotannis persolueret, et *ne ipse, aut posterorum eius quisquam, Imperator fieri posset*, ut refert Pandulphus Collenutius Hist. Neap. L. IV, p. 197. ex eoque Sleidanus Lib. I, p. 20.

(b) Alb. Crantz. Sax. L. VIII. c. 36. *Primo quidem solenni die* (Iubilaei Rom.) *in pontificalibus apparens populo, Apostolicam illam benedictionem illis impartitur, postera a. die imperiali habitu et insula Caesarea insignis, gladium ante se nudatum deferri iussit, et sedens alta uoce testatur: ecce duo gladii hic.* Nimirum ut olim Bonifacius III. uniuersalis Episcopi titulum ut proprium sibi arrogauit, quem certissimum Anti-Christi indicium esse, eius antecessor

ceſſor Gregorius I. praedixerat: ita Bonifacius VIII. in ſollenni hac panegyri, ſe *Dominum totius orbis Chriſtiani*, ac ſpeciatim *Imperii ac Imperatorum*, declarauit. Atque ut dominium illud re ipſa exerceret, nihil intentatum reliquit. Nam Albertum I. uel propterea Imperatorem agnoſcere renuit, *quod ſine ſua autoritate facta electio robur non haberet. Nam utriusque penes ſe gladii poteſtatem manere, affirmabat.* apud Cranzium loc. cit.

VII.

Si qui uero Imperatores iura ſua reuocare et uindicare conabantur, aut ſaltem potentiam ſuam plus, quam Pontifici Rom. ſatis uidebatur, amplificabant, diris Papalibus, et concitatis per illas turbis atque ſeditionibus ad mortem uſque excruciabantur. Illuſtre talis martyrii exemplum praebet fortiſſimus Imperator Ludouicus IV Bauarus, qui uix Fridericum pulchrum, Auſtriacum, Imperii aemulum, debellarat, cum multo acerbiorem in Iohanne XXII hoſtem experiretur. Satis huic ad damnandum proſcribendumque Imperatorem cauſae eſſe uidebatur aucta eius potentia, et iuris Auguſti in Italia uindicatio, maxime, quod Galeaceo, Praeſidi Mediolanenſi, partibus Caeſareis addicto, contra Guelfos rebelles opem tulerat. (a) Ceterum Iohannes multo arrogantiorem execrationis ſuae cauſam prae ſe tulit, qua aperte Imperium Pontifici Rom. clientelare declarauit, ac ſibi Im-

in Ludouicum IV Bauarum.

Imperatoris constituendi uel reiiciendi potestatem tribuit. (b) Non quidem deerant illo tempore uiri prudentes et cordati, qui iniquos Papae ausus improbarent. (c) ipse etiam Imperator strenue illis obuiam ibat, et Imperii proceres adducebat, ut publico decreto, illud non a Pontificis confirmatione, sed a sola Principum Electorum electione pendere, statuerent, ac secus docentes Imperii hostes ac perduelles iudicarent. (d) Sed praeualuit nihilominus communis ac publicus de diuina Pontificis Rom. in Reges ac Imperatores potestate error, (e) quo praesertim Principes nonnulli, Ludouico infensi, et rerum nouarum cupidi, ad rebellionem suam religionis specie tegendam, abutebantur, et eo Imperatorem adegit, ut mutata tandem sententia, ad clementiam Papae confugeret, haeresin sibi obiectam (qua Papam pro Deo ac domino suo non agnouerat) confiteretur, seque totum in illius potestate et arbitrio fore, polliceretur. (f) Sed hac demissione optimus Imperator iratum Papam non sibi aequiorem, imo potius audaciorem et intolerabiliorem, reddidit. Nam cum indignissimas eius conditiones (g) ab Imperatore licet acceptas, Imperii proceres reiicerent, Clemens VI, se delusum dictitans, extrema omnia aduer-

aduerſus illum tentauit, diris denuo deuotum (h) imperio indignum iudicauit, foedus cum aduerſario eius Iohanne, Rege Bohemiae, iniit, et filium huius Carolum a. 1346. Regem Romanorum eligendum curauit. (i) Tot malis exagitatus ac defatigatus Imperator ſequenti anno 1347. non ſine ueneni ſuſpicione, (k) deceſſit.

(a) Hiſtoriam huius belli pluribus exponunt, et cauſas odii Papalis aduerſus Imperatorem ad oculos ponunt, Nicolaus Burgundus hiſt. Bauariae Lib. II. pag. 71. ſeqq. et Nauclerus in Chron. Vol. II. Gen. 45. p. 996.

(b) Operae pretium uidetur, ipſa uerba Bullae, tanquam luculentiſſimum dominatus papalis e. t. documentum, adſcribere: *Poſteaquam a deceſſoribus noſtris res Rom. a Graecis ad Germanos translata Carolo M. in fidem atque tutelam commiſſa eſt, ſummus ille honor, beneficium Pontificis M. eſſe ſolet. Decretum ſiquidem eſt, ut cum Germani principes regem iuſſiſſent, id tum demum ratum eſſe, ſi Rom. Pontifex, uniuerſi orbis Chriſtiani pater atque princeps, autor fieret, nec ante cuiquam, comitiis Caeſareis, ſuffragiis Principum deſignato regi, neque adminiſtrandi, neque regii tituli uſurpandi ius eſt, prius quam primarius ſacerdos, Dei Opt. legatus, ſuo numine faueat et adſpiret. Praeterea ſumma poteſtas, maximum Imperium ubi orbum capite fuerit, penes max. Pontificem, cuius beneficium illud eſt, exiſtit. Itidem ubi ſeptem ſuffragatores comitiis Caeſareis diſcordes fuerint, neuter rex eſt. Epiſcopus Rom. ſicut communis omnium mortalium parens, faſces Romanos ob diſſenſionem deſtitutos, rempbl. derelictam, ſuo arbitrio temperat. Quemadmodum animus imperare, corpus illi, cuius beneficio uiuit, ſeruire debet: ita optime conſultum eſſe rebus Chriſtianis, nemo ambigit, ubi fragilia aeternis, prophana ſacris, corporalia ſpiritualibus ſubdita ſunt, atque obtemperant. Quod tum fiet, quando Pont. max. dignitatem utramque ſuo arbitratu moderatur, Eccleſia dominatur, eius lege atque*

imperio omnis potestas regitur, et Imperator religione sacramenti ei, qui terris praesidendo uicem coelestis Imperatoris perfungitur, addictus est. Hasce ob causas, cum post fata Imperatoris Henrici VII, duo, Fridericus atque Ludouicus, reges consalutati, fuerint, ambo, utpote contra auspicia creati, indigni sunt summo rerum humanarum fastigio. respubl. in medio derelicta, atque dilacerata, a nobis iure nostro administratur. Proinde Ludouicus maximo malo suo, non minore Ecclesiæ Rom. detrimento, nec dum a nobis dignus, qui imperet, iudicatus, sua sponte regium nomen, rerum habenas temere usurpauit, atque ui in Italia atque Germania occupat. Nam Brandenburgensem principatum, contra leges atque intercessionem, filio suo tradidit. In Italia Galeacio, eius fratribus de crimine haereseos condemnatis, atque renunciatis, suppetias tulit. Nos igitur, iuxta munus coelitus nobis datum, Ludouico praecipimus, ut intra menses tres sese abdicet a regio nomine, gubernatione, functionibus publicis, rebus gerendis penitus abstineat, a se hactenus acta rescindat, nec posthac, nisi iussu et mandato nostro, dignitatem resumat. Quod si obtemperare detrectauerit, patriarchis, episcopis cunctis, sacerdotibus, principibus, ciuitatibus imperamus, ut eundem deserant, ac nobis parere cogant. Data, atque publicata Auinione, octauo Idus Octobris anno dignitatis octauo, Christi uero 1323. non, ut apud Auentinum L. VII. p. 468. legitur, 1321. Gemina huic est constitutio, quam sub ipsum initium Pontificatus sui promulgauit, inter Extrau. cap. uno *ne sede uacante aliquid innouetur*, ubi tempore interregni uicarium imperium ad se pertinere, contendit, atque adeo non minus Principum Electorum, quam ipsius Imperatoris iura inuadit. Cum uero Imperator bullae illi morem non gereret, sequentis anni Calendis Octob. Iohannes ipsam excommunicationis et exauctorationis sententiam aduersus illum promulgauit, quam deinde cum ipse Iohannes, tum successores eius, Benedictus XII et Clemens VI, iterum ac sæpius confirmarunt.

(c) Auentin. Lib. VII. p. 468. *Ludouicum omnes diuini humanique iuris consultissimos in Italia, Germania, Gallia, praecipue Bononiae atque Lutetiae, consuluisse*, refert, *qui omnes pro Imperatore*

re scripserint, prae ceteris Marsilius Patauinus, Iohannes Gadunensis, Luitpoldus de Bebenburg, Andreas Laudensis, Ulricus Hangenor, Dantes Aligherius et Guilielmus Ockam, quem ad Ludouicum dixisse ferunt: tu nos pugnis, ense, ferro, armis a seruitute asserе, nos te lingua, calamo, literis, stylo, libris, uerbis uindicabimus. Guil. Ockami, Dantis Aligherii, Iordanis, Marsilii Patavini, Rudolphi de Columna, Luitpoldi de Bebenburg, Aegidii Romani, et aliorum scripta pro Imperatoris iuribus Simon Schardius singulari uolumine de Imperiali iurisdictione, et Melchior Goldastus in Monarchia Sacri Rom. Imperii ex instituto collegerunt, ut taceam, quae Io. Georg Hervvartus ab Hohenberg, in Ludouico Bauaro defenso, ex illorum scriptis repetiit.

(d) Extat decretum hoc apud Goldastum T. III. Constitut. Imperial. p. 409. et his uerbis concluditur: *Vt autem posthac huiuscemodi malis euitatis, Augusta pace, festa quiete, populus Rom. fruatur, ex concilii decreto, hocque plebiscito decernimus, quae supra ritu solenni, religione adacti censuimus, perpetuo sancimus edicto, nimirum, ex solo electionis beneficio omnem potestatem imperiumque proficisci, nec ullo pacto Pontificis R. in hac re sanctimonia, flamineo, autoritate, consensu opus esse. Quicunque aliter docuerit, senserit, factitarit, crimine laesae maiestatis reus, hostis reipubl. atque proscriptus esto, capite poenas soluito, bona eius publica sunto, praedia confiscentur.*

(e) Hinc, cum Papa aduersus decreta imperii, *bullis horrendis et multis fulminaret, conscientias iis miserrime tortas esse,* scribit Mutius Lib. XXIV. p. 238.

(f) Albert. Argent. ad an. 1343. p. 133. *missisque iterum per Principem literis et nunciis ad curiam* (Romanam) *ad sciscitandum causam impedimenti reformationis,* (reconciliationis) *cum ipse* (Imperator) *paratus esset omnia facere, quae sibi iniungerentur a Papa, datoque responso per Francum, quod diceretur per Papam, quod non peteret eo modo gratiam, quo deberet, nunciisque, prout in mandatis habebant, dicentibus, quod daretur eis forma procuratorii, Papae placens*

cens, secundum quam, qualiscunque esset, se petituros dicebant, reliqua. conf. Nicol. Burgundi hist. Bau. Lib. III. p. 168.

(g) Albert. Argent. l. d. pergit, *conceptumque est procu-curatorium turpissimum, quod non credebant Ludouicum signaturum, etiamsi captus fuisset. Dabatur enim in eo potestas Humberto Delphino, auunculo Principis, item M. Vlrico, Cancellario suo, in solidum confitendi omnes haereses et errores, item resignandi imperium, nec resumendi, nisi hoc fieret de gratia Papae, et se ac filios suos, ac bona, ac statum suum in manus ac uoluntatem Papae ponendi, ac multa insolita faciendi. Verum Princeps mandatum huiusmodi non solum sigillauit, sed etiam coram tabellione, misso per Papam, se seruaturum, nec reuocaturum, iurauit. De quo Papa ipse et collegium mirabantur, dicentes intra se: iste homo diffidentia est perplexus.*

(h) Nicol. Burgund. hist. Bauar. L. III. ad a. 1346. p. 173. *dies erat coenae Domini sacer, cum apud populum concione habita, atrocissimis uerbis in Caesarem efferbuit. Proclamabat haereticum et schismaticum esse, dignumque suppliciis, quae in eiusmodi reos leges statuissent. Deinde Iohannes XXII diras omnes rursus in calamitosam innocentiam euomuit, minaturque septem-uiris, ni aliud caput Imperio quaererent, facturum se, quod res exigeret.* Add. Albert. Argent. ad h. a. p. 134. seq. Mutius Lib. XXIV. p. 241.

(i) Leg. Alb. Argent. p. 135. Henr. Rebdorff. p. 436. Mutius l. c. p. 242.

(k) Andreas Presbyter Chron. Bau. p. 36.

VIII.

in Carolum IV.

Carolus IV, ut a principibus Ecclesiasticis Papaeque obnoxiis electus erat, ita se totum ad istius nutum conferebat, uulgo propterea Imperator Clericorum (*Pfaffen Kayser*) dictus. Quam indigne et contemptim Romae habitus fuerit, uel hinc intel-

intelligi potest, quod illam inaugurationis causa ingressuro Innocentius VI hanc conditionem imposuit, ut statim post peracta solennia se reciperet, ac ne pernoctandi quidem in urbe facultatem haberet, imo et totam Italiam quantocius relinqueret, (a) neque iniussu Pontificis rediret. (b) Et in his omnibus quidem ille dicto audiens fuit, (c) ut uidelicet Pontificis gratiam obsequio retineret.

(a) Cuspinianus de Caesar. p. 384. *In die paschae a Cardinali Ostiensi, uel, ut alii scribunt, a duobus Cardinalibus, consensu Pontificis Innocentii VI, in Imperatorem et Augustum consecratus, iis adiectis conditionibus, ne Romae, neue in Italia diutius moraretur.*

(b) Auent. Lib. VII. p. 490. *Ea lege Romae consecratus est, ut continuo Italia excederet, nec eam absque mandato Rom. Pontificis adiret.*

(c) Albertus Arg. ad a. 1354. p. 163. *Rex autem in festo paschae coronatus a Cardinalibus, Pisas reuertitur, quia se non mansurum in urbe promisit. Imperatore autem ab urbe in die coronationis recedente etc.*

IX.

Fundamentum et occasionem dominatus huius Pontificii, in Imperio Germanico stabiliendi, non postremam praebuit mos inde a Caroli Calui tempore introductus, et post Ottonis I tempora etiam, usque ad Maxim. I seruatus, quo nullus Rex Romanorum, legitime licet electus, Imperatoris *in Fridericum III.*

titulo utebatur, nisi Romae a Pontifice inauguratus. Hoc enim eo trahebant Pontifices, quasi penes se Imperatoris constituendi, aut, si ita uideretur, etiam reprobandi potestas esset. Ita inaugurandus Pontificem osculo pedis uenerabatur, et defensionem sedis Rom. imo et obedientiam, illi iurato promittebat. (a) Vltimus inter Imperatores ante reformationem hoc Papae obsequium praestitit Fridericus III, qui perperam a nonnullis quintus appellatur, Maximiliani I pater, die IX Martii a. 1452. Romam propterea ingressus. (b) Ab hoc Imperatore, Nicolaus V obtinuit, ut consilium Basileense, reformationis causa institutum, re infecta dissolueretur, (c) Felix V, Pont. in illo concilio creatus, ad abdicationem adigeretur, (d) et *concordata* denique *nationis Germanicae*, contra eiusdem concilii decreta obtruderentur. (e)

(a) Qua pompa, quibusque ritibus id fieri consueuerit, docet L. I. Sacrarum ceremoniarum, sect. V. cap. 3.

(b) Aduentum illum in urbem Romam Aeneas Syluius, testis αὐτόπτης, in hist. Friderici p. 77. his uerbis describit: *ubi ad portam urbis uentum est, Episcopus Spoletanus, Vicarius Pontificis, ac plurimi Coepiscopi et Abbates infulati, uenerabiles sanctorum reliquias in processionem ferentes, occurrerunt, Caesaremque sub aureo panno, quem umbraculum uocitant, siue baldachinum, introduxere, usque ad gradus basilicae sancti Petri praecedentes. Ibi Nicolaus Pontifex R. sede sedens eburnea, pontificalibus ornamentis indutus,*

dutus, ſenatu Cardinalium circumſtante, multisque aliis praelatis ac magnatibus Italiae coronam facientibus, gratiſſimo uultu uerbisque paternis et ſupra modum benignis, Fridericum ſuſcepit; qui pedibus eius, ob reuerentiam Saluatoris Chriſti, beatique Petri memoriam, exoſculatis, auri maſſam abtulit. Deinde pauca uerba ſuo nomine Aeneam, epiſcopum, dicere iuſſit, quae in congreſſum duorum orbis capitum conuenire uidebantur. Tum quoque et Rex Ladislaus et Albertus Auſtriae Dux, atque ipſa demum Imperatrix, et alii quam plures tum uiri, tum mulieres nobiles ſacros pontificis pedes baſiauerunt. Conf. Gerhardus a Roo. L. V. p. 186.

(c) Nauclerus Vol. II. Gener. XLIX p. 1074. *mandauit Imperator omnibus per Germaniam conſtitutis, Nicolaum pro uero et indubitato Rom. Pontifice uenerari debere, et Baſileenſibus, ut concilium dimitterent, nec ultra feſtum Martini retinerent, quod publicatum eſt A. D. 1447. circa feſtum S. Michaelis.*

(d) Poſtquam uidelicet Imp. Fridericus III illum deſtituerat, uid. Trithemius in Chron. Hirſau. ad a. 1447, et Nicolaus V, Eugenii IV in Pontificatu ſucceſſor, Sabaudiam, Ducatum eius haereditarium, regi Galliae donarat, omnesque ad arma contra illum capienda incitarat. Legantur bulla Nicolai V aduerſus Felicem V, et formula renunciationis a Felice V factae in Leibnizii Codice Iur. G. diplomat. P. I. num. 151 et 152. et in Mulleri Reichstags Theatro P. I. c. 27. add. Nauclerus Vol. II. generat. 49. et Aeneas Syluius de Statu Europae cap. 38.

(e) Quod concordata haec non niſi paucorum Principum Eccleſiaſticorum et Papae obnoxiorum conſenſu approbata fuerint, docent Caſpar Hedio Hiſt. Eccl. L. II. c. 21. Goldaſtus in Rationali p. 116. et ex iis Mullerus im Reicshtags-Theatro P. I. c. 27. p. 358.

X.

Eandem Papae uenerationem et obedientiam coram teſtaturus erat Imp. Maximilianus I, (a) *ſub Maximiliano I.*

(a) nisi a Venetis transitu prohibitus fuisset. Quanta ceteroquin sub hoc Imperatore potestas Pontifici in Germania relicta fuerit, uel ex eo colligere licet, quod Alexander VI, speciosо indulgentiarum titulo tantam pecuniae uim ex illa coegerit, ut publicae ordinum Imperii querelae de opibus per eas exhaustis, et ciuibus ad inopiam redactis, audirentur. (b) Interea ille cum filio suo Caesare Borgia, peccatis Germanorum (hoc enim nomine reditus ex indulgentiis per ludibrium appellabant,) ad dominatum, luxum et flagitia sua abutebatur. Tantum certe abfuit, ut pecuniam illam ad bellum Turcicum, cui destinata erat, conferret, ut quaestuosam cum ipso Baiazethe, Turcorum Imperarore amicitiam coleret. (c) Et illo quidem tempore indies augebatur desiderium *reformationis Ecclesiae in capite et in membris* toties iam frustra tentatae. (d) Qua de causa a. 1503. post mortem Alexandri VI, ipsi Cardinales, nouum Pontificem electuri mutuo se inuicem iureiurando obstrinxerunt, ut quicunque munere illo potiretur, intra biennium concilium generale conuocaret. (e) Sed uana et irrita erant consilia reformationis, illi committendae, in cuius dominatu coercendo initium emendandae Ecclesiae fieri con-

conueniebat. Itaque Iulius II. pontificatum adeptus, a nulla re magis abhorrebat. cumque Cardinales nonnulli eum periurii reum agerent, et quod fruſtra ab illo expectarant, a. 1511. in concilio Piſano ipſi perficere ſtuderent, concilii Lateranenſis, Papali auſpicio conuocati, ſententia damnati ac diſſipati ſunt. Hoc nimirum erat liberum illud concilium, ad quod tota reformandae Eccleſiae ſpes tandem recidebat, ſed quo nullum ad hanc rem ineptius fuiſſe, iam e. t. prudentiores recte iudicarunt, (f) et quae ſupra §I. ex actis eius attulimus, declarant. Quam perfide praeterea Iulius II foedus, cum Maximiliano I contra Venetos initum, dominatus ſui in Italia tuendi cauſa, uiolarit, et communes hoſtes, quos antea diris deuouerat, in ſocieratem receperit, ipſe Imperator publicis literis teſtatum reliquit. (g)

(a) Quae iam initio ſeculi XVI de obedientia, Pontifici ab Imperatore praeſtanda, inter hunc et Electores decreta fuerint, ex actis recenſet Mullerus *im Reichstags-Staat* L. II. c. 12.

(b) Publica ordinum querela, a. 1500. ea de re ad Papam delata, extat *in der inſtruction vor die Reichs Geſandſchafft an den Pabſt zu Rom*, apud Mullerum *in dem Reichstags Staat* L. I. c. 10. his uerbis concepta: *und nach dem nun etvve vil Iar her von Annuata, ſeit der Zeit die gegeben, zu vviderſtand des Türcken, und den anfechtern des heiligen Chriſtlichen Glaubens zu geben*

ben angesehen, auch durch Päbstlich indulgenz und Ablaß mercklich Gelt, undernamen das vvider die Veind Christi zu gebrauchen, in deutscher Nation erlangt, und gen Rom kommen, und gebracht, NB. dadurch die Stennde im H. Reiche an Gelt erarmet und erschöpfft, sey der Königl. Majest. und des H. Reichs Bitt und Begern, dievveil Sy sich ungezvveiffelt versehen, daß die Päbstliche Heiligkeit solchs jetzberührten Gelts ein grose anzahl, das nochmahls zu dem, dazu es, als obstet, zu erlegen fürgenommen, nit gebraucht vvorden, bey einander hab, daß sein Heiligkeit davon seiner Majestät und Heiligem Reiche jerlich ein Summa Gelts raiche und folgen lasse, damit Sy den obberürten Widerstand der Heiligen Christenheit zu gut vollenden, und dest stattlicher unterhalten und vollstrecken mügen. Exactionibus eiusmodi Papalibus Germanos non tantum ad paupertatem, sed prope ad desperationem, et seditionem adactos fuisse, praeter cetera ostendit exemplum rusticorum Spirensium, sub initium seculi XVI rebellantium, de quibus Laur. Surius, auctor Pontificiis minime suspectus, Comment. ad a. 1502, p. 48, sq. *habebant*, inquit, *coniurati isti tesseram quandam mutuae cognitionis, eaque erat huiusmodi, ut si quis eius foederis esset percontatus ab alio: vvas ist nun für ein Wesen?* interrogatus responderet: *vvir mögen nicht für den Pfaffen genesen.* Iam nemo, opinor, mirabitur D. Lutherum in libello de Papatu Romano a. 1520. scripsisse: *mich vvundert, daß Deutschland, das je die helfft, so nicht mehr, geistlich ist, noch einen Pfennig hat, für den unaussprechlichen, unzelichen, untreulichen Römischen Dieben, Buben und Reubern. Man spricht, der Endechrist söll die Scheze der Erden finden, ich meine die Romanisten haben sie funden, daß uns Leib und Leben vvehe thut. Werden die deutschen Fürsten, und der Adel, nicht mit dapffern Ernst in der kürz dazu thun, so vvird Deutschland noch vvüste vverden, oder sich selbs fressen müssen.*

(c) Optime haec omnia cognoscuntur ex Diario Ioh. Burchardi, in aula Alexandri VI ceremoniarum magistri, cuius excerpta quaedam, sub titulo Speciminis historiae arcanae siue anecdotae, edidit G. G. Leibnizius Hannou. 1696. In his

his enim totum commercium literarum inter eos commutatarum exhibetur. Speciatim p. 15. Alexander VI. auxilium Bajazethis contra regem Galliae sollicitans, scribit: *sperantes in amicitia bona, quam ad inuicem habemus, quod in tali necessitate iuuabit nos*, ac petit deinde ut XL. millia Ducatorum Venetorum, mense Nouembri quotannis *pro annata* sibi promissa, quantocyus soluenda curet, Venetosque a Gallorum partibus ad suas traducere studeat, et addit: *nostrae intentionis est, accrescere et meliorari nostram bonam amicitiam*, nec minus beneuole Bajazeth respondet: *ulterius et id, quod conuentum est, quamuis ad nostrum terminum satis temporum reliquum est, tamen de quo scripsistis et petiistis, ipsum cum festinatione datum est*, et literas suas his uerbis concludit: *nostra enim amicitia Dei uoluntate indies augebitur. Nunciis autem ueſtrae salutis nunquam nos priuetis, ut audientes magis delectemur.* Diarium illud, cuius non nisi partem Leibnizius edidit, integrum postea ad manus eius peruenisse, et nouam editionem ejus morte impeditam esse, docet uita celeberrimi uiri Actis Erudit. a. 1717. M. Iul. inserta.

(d) De reformatione Ecclesiae in capite et in membris summe necessaria, cum priuatorum, nominatim Henrici de Hassia, Petri de Alliaco, Theodori Vrie, Nicolai de Clemangis, Iohannis Gerson, Francisci de Zabarellis, testimonia, uota, et integra scripta, tum publicorum et uniuersalium conciliorum decreta, inprimis *Collegii Reformatorii* in concilio Constant. solennissime constituti, consultationes et constitutiones data opera collegit Hermann *von der Hardt* in Actorum concilii Constant. T. I. et summatim exhibuit ac recensuit L'Enfant singulari diss. Historiae eiusdem concilii, Amstelod. 1712. Gallice a se editae, annexa. Primum et praecipuum huius reformationis caput fuisse *curiam Rom. in dissidiis praesertim pontificalibus illa tempestate uehementer maculatam, ad antiquae et Apostolicae NB. modestiae normam et uirtutem exigendam ac reducendam*, ostendit laudatus Hardius in proleg.

pag. 21 Sed omnibus illis conatibus per artes curiae Rom. impeditis, reformatio, cum summo bonorum omnium dolore, abrupta est.

(e) Iohannes Mariana Rerum Hispan. Lib. XXX. cap. 3: *superioribus comitiis pontificiis clausi intra conclaue Patres consensum pro se quisque sacramento sunt polliciti, quicunque illorum esset Pontifex renunciatus, intra biennium Episcoporum ex toto orbe conuentum habiturum, si falleret, graui caput suum obtestatione deuinciens.* add. Fugger Spec. Austriac. Lib. XVI. cap. XV. n. 1.

(f) Status Rom. Imperii in Apologia Pisani Conc. Tomo XIII. Concil. Labb. inserta col. 1485: *Ex quo Pontifices Rom. habuerunt arces et armatas custodias, Roma non fuit idonea habendis conciliis. Nam Spiritus S. non afflat, nisi mentes liberas, unde cum Iulius II. habeat exercitum, Roma non esset tutus locus iis, qui NB. de Ecclesia reformanda loqui uellent.*

(g) Maximilianus I, epist. ad Ludouicum El. Palat. data Veldkirchii d. 9. Sept. 1510. in Goldasti Reichshandl. p. 94. uehementer conqueritur: *daß der Pabst aus dem Bund und Vertrag wieder Gott und all Billigkeit und sein verschreibung gewichen, und den Venedigern, die da offenbar Tyrannen und Durchächter der heiligen Kirchen und deß H. Römischen Reichs seyn, wieder uns zu gefallen, ---- und sich die seinen wieder Göttlich und Menschlich Natur bewegen lassen: dadurch denn etlich Schloß und Städt, so in unsern Gehorsamb gewesen, von uns wieder an die Venediger gefallen, und die unsern unsighafft weiter blieben seyn.*

XI.

Dominatus Papalis in alios Re-

Similem potestatem Pontifices Rom. potissimum a tempore Gregorii VII, in alios etiam reges

reges ac principes sibi arrogarunt. Hungariae regnum, seculo XI imperio Germanico subiectum, non tantum communi et uniuersali iure suo, (a) sed et propterea sibi obnoxium esse, uoluerunt, quod S. Stephanum regem, impertita corona regia, sanctae Rom. Eccleſiae deuinxerint. (b) Nec minus uicinos Hungariae principes, partim regibus Hungariae, partim Imperatoribus orientalibus quondam subiectos, nominatim Dalmatiae, Croatiae, (c) Seruiae (d) regulos, sceptro et corona, liberalitate scilicet Apostolica, oblatis, in clientelam et iurisdictionen suam pertrahere studuerunt.

ges, nominatim Hungariæ, Dalmatiae, Croatiae, Seruiae

(a) Cummune illud ius, quod in omnes, si diis placet, reges habent, urget Hildebrandus in epist. ad Geizam, regem Vngariae. *Notum uero*, inquit, *tibi esse, credimus, regnum Hungariae et alia nobilissima regna in propriae libertatis statu debere esse, et nulli regi alterius regni subiici, nisi sanctae et uniuersali matri, Eccleſiae Romanae: quae subiectos habet, non ut seruos, sed ut filios. Quod, quia consanguineus tuus* (scil. rex Salomon) *a rege Teutonico, non a Rom. Pontifice usurpatiue obtinuit, dominium eius, ut credimus, diuinum iudicium impediuit.*

(b) Hoc argumento idem Hildebrandus utitur, dum Salomonem regem ab Imperio Germanico abalienare, ac suae clientelae subiicere studet. Nam in Epist. 13. lib. II. ita ad illum scribit: *sicut a maioribus patriae tuae cognoscere potes, regnum Hungariae sanctae Romanae Eccleſiae proprium est, a rege Stephano olim beato Petro cum omni iure et potestate sua oblatum et deuote traditum. Quae cum ita sint, tu tamen in ceteris quoque a regia uirtute et*

et moribus longe discedens, ius et honorem S. Petri, quantum ad te, imminuisti et alienasti, dum eius regnum a rege Teutonicorum ad beneficium suscepisti. Quod si uerum est, qualiter gratiam B. Petri, aut nostram beneuolentiam sperare debeas, tu ipse, si iustitiam uis attendere, non ignoras: uidelicet te non aliter eam habiturum, nec sine apostolica animaduersione diu regnaturum, nisi sceptrum regni, quod tenes, correcto errore tuo, apostolicae, non regiae maiestatis beneficium recognoscas. Hae epistola, a. 1073. scripta, Salomonem regem, aut incitatum, aut saltem confirmatum esse, ut aduersus Imperium rebellaret, ostendit Herm. Conringius de Finibus Imp. Germ. c. XVII. §. 17. et simul notat, quam falso regnum Hungariae, *a rege Stephano beato Petro traditum* dicatur, cum id nusquam alibi, et ne in sacra quidem regis illius historia, legatur: licet in ea *benedictionem et coronam* regiam Romae accepisse dicatur. Imo ne hoc quidem Vngari concedunt. Nam ut Bodinus L. I. de Republ. c. 9. n. 114. scribit, *in actis Vaticanis extat intercessio Principum Hungariae, aduersus Pontificis Rom. legatum a. 1308. quibus cum diceret, Stephanum I. Hungariae regem a Pontifice Rom. coronam regiam accepisse, acerrime restiterunt, neque id Romano Pontifici ius esse, denunciarunt.* Leg. Aug. Steuchus in Laur. Vallam L. II, c. 94. et cum eo comp. Marcellus de Iure Seculari Pont. c. XXIII.

(c) Cum seculo XI Dalmatia et Croatia uno auspicio imperioque coniunctae essent, Hildebrandus ad Demetrium, utriusque dominum, legatos cum uexillo, ense, sceptro et corona misit, qui illum regem inaugurarent, et simul iureiurando Pontifici Rom. obstringerent. Docent hoc literae Hildebrandi, quas, una cum formula fidelitatis Demetrio praescripta Baronius ex codice Vaticano edidit ad a. 1076. Formula ita se habet: *Ego Demetrius, qui et Suinimer, D. G. et Apostolicae sedis dono rex, ab hac hora inantea S. Petro, et domino meo Papae Gregorio suisque successoribus canonice intrantibus ero fidelis, et ut ipse, siue post eum uitam aut membra perdant, aut capiantur, neque in consilio neque in facto ero, et consilium, quod mihi crediderint, intimabo, regnum autem, quod mihi per manum suam*

tra-

traditur, fideliter retinebo, et illud suumque ius apostolicae sedi non subtraham, et undecunque me inuitauerit Pontifex, aut eorum legatus, prout potero, eis simpliciter seruiam. Vtrum tamen hac formula reges se Pontifici Rom. obstrinxerint, dubium reddit M. Ant. Marcellus lib. de Iure Seculari R. P. c. XIX.

(d) Qua ratione idem Hildebrandus Michaelem Seruiae Principem, ab Imperio orientali disiunctum, titulo et insignibus regiis donatum, sibi obligarit, pluribus exponit Io. Lucius L. II. c. 14.

XII.

In regnis Septentrionalibus non tantum tributa exegerunt, (a) sed eam quoque auctoritatem quondam consecuti erant, ut illa ab uno ad alterum tranferre posse crederentur. (b) Quin et controuersias regum cum exteris decernendi ius sibi arrogarunt. (c)

(a) Baronius ad A. 1062. n. CIX. ex libro censuum profert fragmentum epistolae, qua Alexander II a Suenone, Danorum rege, censum his uerbis postulat: *Quapropter prudentiam tuam admonemus, ut censum regni tui, quem praedecessores regni tui S. apostolicae Ecclesiae persoluere soliti sunt, nobis et successoribus nostris transmittere studeat: ita tamen, ut non, sicut oblatio in altari ponatur, sed, ut supra diximus, tam nobis quam successoribus nostris, ut certius approbetur, praesentialiter offeratur.* Bene autem obseruat Marcellus l. d. c. XXIX. quod unius forte uel alterius regis liberalitate Ecclesiae Rom. donatum fuerat, ab eius successoribus illico tributi nomine ac iure, postulatum fuisse.

(b) Cum seculo XIV in Dania post mortem Christophori II interregnum esset, Magnus, Suecorum Rex, Scania iam occupata, uniuerso Daniae regno inhians, a Benedicto XII per legatos petiit, „ut Scania, quae ceu Sueciae „limen esset, et in potestatem suam nuper adeo ueniisset, de-

inceps

„inceps item ad se posterosque suos pertineret, idque Pon-
„tifex confirmaret: tum et uti ceterum regnum, quod ty-
„ranni nunc iniuste possiderent, subiugandum sibi daret.
„Non imperio Rom. subditum unquam id fuisse, sed Eccle-
„siae uectigale, se deinceps in obsequio semper fore, atque
„censum soluturum, ut est apud Meursium Hist. Dan. L. IV.
p. 76.

(c) Meursius L. V. p. 114. Pontificem Rom. ostendit sibi iudicium sumpsisse in causa belli Danici aduersus ciuitates Vandalicas, sed intercessisse Imp. Sigismundum, literis publicis conquestum, res humani iuris in forum Romanum pertrahi.

XIII.

in Reges Angliae.

Nusquam uero Pontifices quaestuosiorem auctoritatem, quam in Anglia habuerunt. Saxones, in hac insula rerum potitos, Augustinus, a Gregorio I. Pontifice missus, non prius sacris Christianis, quam ritibus et ueneratione sedis Rom. imbuerat, (b) antiquioribus Christianis Britannis uel ipsa Archiepiscopalis sellae ac tituli superbia inuisus. (c) Hinc Ina, occidentalium Saxonum rex, religionis causa circa A. C. DCCXXV Romam profectus, denarium B. Petro primus obtulisse creditur: cuius exemplum deinde imitati sunt, et liberalitatem auxerunt (d) Offa, (e) Aethelvolfus (f) et alii. Iacto hoc fundamento, Pontifices Rom. longius sensim progressi sunt, et consuetudine in legem, liberalitate regum in uectigal conuersa, non modo sacrarum,

sed

sed humanarum quoque rerum arbitrium sibi sumpserunt, et quos doctrina erudire debebant, eos etiam imperio regere uoluerunt. Sec. XI Gregorius VII, qua erat confidentia, a Guilelmo I, rege Anglorum, fidelitatem postulare non dubitauit. (g) Seculo XII sub Henrico II, eo res iam redierat, ut ad Hiberniam inuadendam, auctoritate et concessione papali opus esse uideretur. Hanc dum ab Hadriano petit Henricus, optatam illi occasionem praebuit, dominatum suum stabiliendi pariter ac amplificandi. (h) Post Thomam uero Archiepiscopum Cantuariensem, iniussu licet regis, trucidatum, poenitentiae titulo nouum Angliae tributum impositum, et iurisdictio regia, per introductas appellationes, siue prouocationes ad sedem Rom. aliaque clericorum priuilegia, non parum restricta est. (i) Tandem Seculo XIII Iohannes rex execratione Papali, et concitatis per eam bellis atque seditionibus (l) eo adactus est, ut Papae potestati se totum permitteret, (m) ac regnum suum, cum magna pecuniae summa in eius clientelam ac fidem uel inuitissimus traderet (n) Quae res, ut erat indignissima, regem, summo dolore et poenitentia affectum, ita ab ipsa religione Chri-

 stiana

ſtiana abalienauit, ut deſperanti ſimilis illam cum Muhamedana, et iugum papale cum Saraceni-co commutare deſtinaret. (o) Quam auare et ſuperbe deinceps curia Rom. Angliae dominata fuerit, publicae ordinum querelae ſub ſequentibus regibus ingeminatae teſtantur. (p) Huiusmodi exactiones per quaeſtores Rom. (q) usque ad Henrici VIII tempora continuatae ſunt, et non minorem cenſum in Romanum, quam in regium aerarium intulerunt. (r)

(a) Non ſine cauſa Iohannes, rex Angliae, a. 1208. Innocentio III exprobrauit: *quod uberiores illi fructus proueniant de regno ſuo Angliae, quam de omnibus regionibus cis Alpes conſtitutis*, apud Matth. Pariſ. ad a. 1208. p. 156.

(b) Beda Hiſt. Eccl. gentis Angl. L. II. c. 2, 3.

(c) Cum Auguſtinus nouos ritus Rom. antiquis Britonum Epiſcopis perſuaſurus, eos ad concilium inuitaſſet, *hi, ad praefatum ituri concilium, uenerunt primo ad quendam uirum ſanctum et prudentem, qui apud eos anachoreticam ducere ſolebat uitam, conſulentes, an ad praedicationem Auguſtini ſuas deſerere traditiones deberent? qui reſpondebat: ſi homo Dei eſt, ſequimini illum. Dixerunt: et unde hoc poſſumus probare? et ille: dominus*, inquit, *ait: tollite iugum meum ſuper uos, et diſcite a me, quia mitis ſum et humilis corde; ſi ergo Auguſtinus ille mitis eſt et humilis corde, credibile eſt, quia iugum Chriſti et ipſe portet, et nobis portandum offerat; ſin autem immitis et ſuperbus eſt, conſtat, quia non eſt de Deo, neque nobis eius ſermo curandus eſt. Qui rurſus aiebant: et unde uel hoc dignoſcere ualemus? Procurate*, inquit, *ut ipſe prior ad locum ſynodi adueniat, et ſi uobis appropinquantibus aſſurrexerit, ſcientes, quia famulus Chriſti eſt, obtemperanter illum audite; ſin autem uos ſpreuerit, nec coram uobis aſſurgere uoluerit, cum ſitis numero*

mero plures, et ipse spernatur a uobis. Fecerunt, ut dixerat. Factumque est, ut uenientibus illis sederet Augustinus in sella. Quod illi uidentes mox in iram conuersi sunt, eumque notantes superbiae, cunctis, quae dicebat, contradicere laborabant -- -- neque illum pro Archiepiscopo habituros esse, respondebant.

(d) Vetus Chronologia Saxonica, quam Abr. Whelocus Historiae Bedae subiunxit ad a. 728. *Hic Ina Romam adiit, ibique spiritum efflauit.* Ranulphus Cestrinensis L. V. c. 24. *Rex Ine commendato regno suo Westsaxoniae Ethelardo, cognato suo, Romam profectus est, qui primus omnium regum denarium ex singulis domibus regni sui B. Petro fertur concessisse.* Pluribus occasionem huius liberalitatis exponit Matthaeus Westmonaster. ad a. 727. et denarium illum initio destinatum fuisse, ostendit, *scholae atque Ecclesiae in honorem B. Virginis Mariae* ab Ina *fabricatae, ad quam reges Angliae et genus regium cum episcopis, presbyteris et clericis, in doctrina et fide catholica erudiendi, ueniret; ne quid in Ecclesia Anglicana sinistrum aut catholicae unitati contrarium doceretur.* Conf. Henr. Spelmannus T. I. Concil. ad A. 725. Baronius, et eum secuti, perperam illud referunt ad annum 740.

(e) Auctor uitae Offae: *Scholam Anglorum Offa, quae tunc Romae floruit, ingressus, dedit ibi ex regali munificentia ad sustentationem gentis regni sui illuc uenientis singulos argenteos de familiis singulis, omnibus in posterum diebus singulis annis.* et breui post: *ipsum annuum reditum Romanae Ecclesiae pro redemtione animae suae contulit, ad sustentationem uidelicet scholae memoratae, propter Anglorum rudium et illuc peregrinantium eruditionem.* Vid. Spelmann. l. d. ad a. 793.

(f) Ioh. Bromton Chron. ad a. 730. *Contulit Deo et B. Petro singulis annis de qualibet domo totius Angliae unum denarium, qui hodie denarius S. Petri uulgariter appellatur, et ipsemet ob deuotionem, quam erga Deum gessit, primum denarium obtulit pura mente: postea nihilominus singulis annis trecenta talenta Ecclesiae Romanae contulit, uidelicet ad luminaria S. Pauli, et ad usus summi Pontificis.*

(g) Pa-

(g) Patet hoc ex epistola Guilelmi I regis ad Gregorium VII, a Seldeno in Notis ad Eadmerum ex MS. Codice Epistolarum Lanfranci edita: *Hubertus legatus tuus, religiose Pater, ad me ueniens, ex tua parte me admonuit, quatenus tibi et successoribus tuis fidelitatem facerem, et de pecunia, quam antecessores mei ad Romanam Ecclesiam mittere solebant, melius cogitarem. Vnum admisi, alterum non admisi. Fidelitatem facere nolui, nec uolo, quia nec ego promisi, nec antecessores meos fecisse, comperio.*

(h) Matthaeus Paris ad a. 1155. p. 67. *Rex Anglorum Henricus nuncios solemnes Romam mittens, rogauit Papam Adrianum, ut sibi liceret Hiberniae insulam hostiliter intrare, et terram subiugare. Quod Papa regi gratanter annuens hoc sequens ei priuilegium destinauit:* Adrianus *episcopus, seruus seruorum Dei, carissimo in Christo filio, illustri Anglorum regi salutem. -- -- Significasti nobis, te Hiberniae insulam -- uelle intrare, et de singulis domibus annuam unius denarii beato Petro uelle soluere pensionem. Nos autem pium et laudabile desiderium tuum fauore congruo prosequentes et petitioni tuae benignum impendentes assensum, gratum et acceptum habemus, ut pro dilatandis Ecclesiae terminis -- -- insulam illam ingrediaris: et illius insulae populus te recipiat, et sicut dominum ueneretur, iure ecclesiarum illibato et integro manente, et salua beato Petro de singulis domibus annua unius denarii pensione. Sane omnes insulas, quibus sol iustitiae Christus illuxit, et quae documenta fidei Christianae susceperant, ad ius sancti Petri et sacrosanctae Ecclesiae Romanae (quod tua etiam nobilitas recognoscit) non est dubium pertinere.*

(i) Matth. Paris. ad a. 1172. p. 88. *Confestim ad Cardinales a Papa missos, Albertum et Theodinum, accedens (Henricus Rex) post longos tractatus, in praesentia eorundem legatorum iurauit, mortem Thomae martyris glorioси nec uoluntate uel conscientia sua perpetratam fuisse, nec suo artificio perquisitam. Sed quoniam malefactores ex uerbis, quae rex, iracundiae calore succensus, minus caute protulerat, -- -- occasionem uirum Dei sumpserunt perimendi; rex cum summa humilitate absolutionem postulans impetrauit. Promisit igitur rex ad mandatum legatorum, quod tantum daret de pecunia sua, unde ducenti milites ad defensionem terrae sanctae possent sustentari*

per

per annum. Promisit insuper, quod permitteret deinceps appellationes libere fieri, et quod consuetudines, quae suis erant introductae temporibus, contra libertates ecclesiae, in irritum reuocaret. -- Rex uero iuuenis, quicquid rex pater iurauerat et promiserat, ipse etiam iurauit et promisit.

(k) Causa excommunicationis erat, quod rex Stephanum quendam, electum se inuito Archiepiscopum Cantuariensem, admittere recusabat. Hinc a. 1209. toti Angliae ipsique regi sacris interdictum, imo huic etiam regnum ipsum Pontificis sententia abiudicatum est, quod pluribus exponit Matth. Paris ad a. 1208. et seqq.

(l) Matthae. Paris ad a. 1212. p. 162. *Ad huius sententiae executionem scripsit dominus Papa potentissimo regi Francorum, Philippo, quatenus ad remissionem omnium peccaminum suorum, hunc laborem assumeret, et rege Anglorum a solio regni expulso, ipse et successores sui regnum Angliae iure perpetuo possiderent. Scripsit insuper omnibus magnatibus, militibus, aliisque bellatoribus per diuersas nationes constitutis, ut ad regis Anglorum deiectionem sese cruce signarent. ---- Statuit praeterea, ut quicunque ad expugnandum regem illum contumacem opes impenderint uel auxilium, sicut illi, qui sepulchrum Domini uisitant, tam in rebus, quam in personis et animarum suffragiis, in pace Ecclesiae securi permanerent.* et breui post ad a. 1213. *Tunc rex Francorum, rem diu desideratam intelligens, accinxit se ad pugnam.*

(m) Matth. Paris. ad a. 1213. p. 163. *Rex denique Iohannes his auditis confusus est ualde, et mente nimis perturbatus uidens undique periculum sibi imminere. ---- His causis in desperationem prolapsus persuasionibus Pandulphi acquieuit, et subscriptam pacis formam, non sine dolore, concessit. Iurauit ergo rex, tactis sacrosanctis Euangeliis, in praesentia Pandulphi, se iudicio Ecclesiae pariturum, et sexdecim cum eo Comites et Barones ex potentioribus regni in animam regis, quod, si forte facti poeniteret, ipsi eum, pro possibilitate, ad satisfactionem compellerent.*

(n) Matth. Paris. ad e. a. p. 164. *Idem rex, iuxta quod Romae fuerat sententiatum, resignauit coronam suam, cum regnis Angliae*

et Hiberniae, in manus domini Papae, cuius uices tunc gerebat Pandulphus. et p. 165. *et continuo cunctis uidentibus homagium fecit subscriptum: ego Iohannes, Dei gratia rex Angliae et dominus Hiberniae, ab hac hora et inantea, fidelis ero Deo et beato Petro, et Ecclesiae Romanae, et domino meo Papae, domino Innocentio, euiusque successoribus catholice intrantibus ---- Patrimonium beati Petri, et specialiter regnum Angliae et Hiberniae, adiutor ero ad tenendum et defendendum contra omnes homines pro posse meo. Sic me adiuuet Deus, et haec sancta Euangelia, Amen. Pandulphus autem pecuniam, quam in arrham subiectionis rex contulerat, sub pede suo conculcauit.*

(o) Matth. Paris. ad a. 1213. p. 169. *Poenituit ipsum grauiter et amarissime, quod ad praedictae pacis consensum inclinaretur. Misit ergo nuncios secretissimos --- ad Admiralium Murmelium, regem magnum Africae, Marrochiae et Hispaniae, significans eidem, quod se et regnum suum libenter redderet eidem, et dederet, et deditum teneret ab ipso, si placeret ei, sub tributo. Nec non et legem Christianam, quam uanam censuit, relinquens, legi Mahometi fideliter adhaereret.* Paucis interiectis, memoratur responsio Principis Muhamedani, Iohannem regem, ut humilis ex abiecti animi hominem, aspernantis, in qua haec potissimum uerba memorabilia sunt: *Modo inspexi librum in Graeco scriptum cuiusdam Graeci sapientis, et Christiani, nomine Pauli, cuius actus et uerba mihi optime complacent: unum tamen de ipso mihi displicet, quod in lege, sub qua natus erat, non stetit --- et id dico de domino uestro Anglorum rege, qui relicta pissima et mundissima lege Christianorum, sub qua nascebatur, cereus et instabilis gliscit transmeare.* Et addit. *Nouit, qui nihil ignorat Deus omnipotens, si exlex essem, illam prae omnibus eligerem, et acceptans amplexarer.* Obserues, quaeso, Lector, religionem Christianam per se, h. e. quatenus ex puris sacrarum literarum fontibus hauritur, optimam, diuinam, ipsisque Muhamedanis uenerabilem: sed propter tyrannidem papalem, excitata per illam scandala, et adiunctas *uanitates*, humanarum uidelicet traditionum, et errorum, Iohanni regi exosam atque contemptam. Simillimum exemplum in Imp. Friderici II historia reperire licet. O quanti reges illi redemissent coetum Christianum tyrannide illa liberum, et institutis Apostolicis conformem!

formem! qualem hodie proh dolor! Principes nonnulli ultro deserunt et aspernantur.

(p) Matth. Paris ad a. 1246. p. 469. *Grauatur regnum Angliae eo, quod Dominus Papa non est contentus subsidio illo, quod uocatur denarius beati Petri, sed a toto Clero Angliae grauem extorquet contributionem, et adhuc multo grauiora nititur extorquere, et hoc facit sine domini regis assensu uel consensu, contra antiquas consuetudines et libertates etc. Haec attendentes uniuersi et singuli unanimiter consenserunt: ut domino Papae tam per literas quam per solennes nuncios supplicarent, ut tam intolerabilia grauamina et iugum subtraheret importabile. Scripserunt igitur domino Papae in haec uerba etc.* Plenae sunt huiusmodi querelis de tyrannide, auaritia et arrogantia Romana omnes fere paginae apud Matthaeum Paris, inprimis p. 475, 480, 481, 484, 488, etc. et apud alios rerum sec. XIII et sqq. in Anglia gestarum scriptores, quas h. l. exscribere non licet, neque attinet.

(q) Inter ultimos quaestores Romanos in Anglia fuit Polydorus Vergilius, ut ipse de se testatur Hist. Angl. L. IV, p. 98. *Nummos illos*, inquiens, *argenteos, uulgo denarios Petri, Pontificius Quaestor, quem non inscienter collectorem nuncupant, exigit: nos hanc olim quaesturam aliquot per annos gessimus, eiusque muneris obeundi causa primum in Angliam uenimus.*

(r) Demonstrat illud Paulus Sarpius Tr. de beneficiis, cuius haec uerba repetit And. Arnoldus dissert. de denario Petri p. 16: *Ad computationem reuocare rex iussit, quantum ex Anglia rediret ad Pontificem: compertum est Papae fructus adaequare illos regios 60000 marcarum.* Pro solis annatis intra aliquot annos 800000 ducatorum ex Anglia Romam missa fuisse, sub Henrico VIII, in Senatu regni Anglicani deprehensum est, ut refert G. Burnet in Historia Reformationis Ecclesiae Angl. ad a. 1532. p. 82. ed. Lond.

XIV.

XIV.

Idem a Pontifice in regno Francico tentatum esse, famosissima illa inter Philippum Pulchrum et Bonifacium VIII controuersia uel sola docere potest. Haec enim in eo potissimum uertebatur, quod Bonifacius VIII regem *in temporalibus et spiritualibus* sibi subiectum esse, contendebat, (a) eumque propterea non solum sacris arceri, sed etiam regno a se priuari posse, opinabatur. (b) Tametsi uero Pontifices execrationibus suis in Gallia non aeque, ac in Anglia, id, quod uoluerunt, consecuti sunt: tanta tamen illorum auctoritas etiam apud Francicos reges remansit, ut Carolus VIII, a. 1494. Italiam cum formidabili exercitu ingressus, Alexandro VI pedem exosculari et coram *obedientiae* illi praestandae fidem facere non detrectaret. (c)

(a) Nota est epistola Bonifacii ad Philippum regem, qua scripserat: *Scire te uolumus, quod in spiritualibus et temporalibus nobis subes*, pariter ac responsio regis: *sciat tua maxima fatuitas, nos in temporalibus alicui non subesse.* Et illam quidem Bonifacius postea pro sua agnoscere noluit: quia nimirum ea forma, qua hodienum extat, ad regem non perlata est, exigentibus illud legatis regiis, ne Philippi animus nimium incenderetur; sed a Pet. Flotta uno ex legatis illis tantum descripta. quin et *in consistorio* coram legatis Philippi *protestatus*

est

est, quod in nullo uellet usurpare iurisdictionem regis, et quod non mandarit regi, ut recognosceret regnum ab ipso. Regem tamen negare non posse, quin esset Pontifici subiectus ratione peccati. Vid. Acta de discordia Bonifacii et Philippi a Petro Puteano ed. p. 77. Ita scilicet subtili quadam distinctione dominatum suum simul excusare, et asserere studuit, dum potestatem de temporalibus quibuscunque iudicandi non quidem *ratione feudi*, quasi rex Galliae sedi Romanae feudalis siue clientelaris esset, sed tantum *ratione peccati* sibi uindicauit. Sed fumos hic uendi, recte obseruat Pet. de Marca L. IV de Concordia Sac. et Imp. c. 16. §. 5. Nam potestatem illam eo extendit, ut liberum sibi putaret, quaecunque a regibus peccarentur, non solum quatenus sunt priuati homines, sed etiam in regni administratione, decretis suis corrigere, regesque contumaces censuris et ipsa regni priuatione plectere, secundum Extr. *Vnam sanctam* de maior. et obed. Omnium uero grauissime reges Pontifici peccare uidebantur, cum dominatui et utilitatibus eius non uelificarentur.

(b) Annal. H. Steronis Contin. ad a. 1302. *Anno sequenti Papa excommunicauit Philippum, regem Franciae, quod pecuniam extra regnum suum portare non permisit, et Alberti regis Romanorum electionem admisit, subiiciens sibi regnum Franciae.* Add. Acta inter Bonifac. et Philippum et quae summatim ex iis repetit Dupin Bibl. Nou. Autorum Eccl. T. XI. p. 19.

(c) Quo ritu Carolus VIII, Rex Galliae, Romae exceptus, et cum Alexandro VI Pontifice, digniorem semper locum tenente, congressus sit, copiose exponit, qui ipse ordinandis ceremoniis illis praefuit, Io. Burchardus, in Diario supra laudato p. 30. Nos hic saltem uerba, quibus Papam sedentem rex, ad sinistram eius stans, allocutus est, repetemus: *Sainct Pere, ie suis uenu pour faire obedience et reuerence a uostre saincteté, comme ont accoustume de faire mes predecesseurs Roys de France.*

XV.

In reges Hisp. et Lusitaniae

De regno Hiſpaniae ſibi uindicando iam olim Sec. XI. cogitauit Hildebrandus, (a) et quod fruſtra ille tentarat, ineunte Sec. XIII. maxima ex parte effectum uidit Innocentius III, a. 1204. cum Petro II, Arragoniae rege, a ſe inaugurato, pactus, ut quotannis certam pecuniae ſummam, in obſequii fidem, aerario Pontificio inferret. (b) Eodem modo Alphonſus Portugalliae Dux, regis titulum adeptus, (c) terram ſuam Pontifici in clientelam dedit, et IV unciarum cenſum quotannis ſoluendum pro ſe et ſucceſſoribus ſuis promiſit. (d) Hinc illae regum Luſitanicorum cum Pontificibus Romanis, nullum dominatui ſuo modum ſtatuentibus, controuerſiae, et horum contra illos dirae extiterunt, quae regnum illud deinceps grauiſſime afflixerunt. (e) Non multo ante Reformationis tempora Alexander VI, arrogantia ipſis barbaris ridicula, nouum orbem et terras recens detectas inter Hiſpanos et Luſitanos diuiſit. (f)

(a) Greg. VII. Lib. I. Epiſt. 7. ad Principes in Hiſpaniam profecturos: *Non latere uos, credimus, regnum Hiſpaniæ ab antiquo proprii iuris S. Petri fuiſſe, et adhuc, licet diu a paganis ſit occupatum, lege tamen iuſtitiae non euacuata, nulli mortalium, ſed ſoli Apoſtolicae ſedi ex aequo pertinere.* Has et ſimiles literas innuit Mariana, cum Hiſt. Hiſpan. L. IX, c. 5. *Romani*, inquit, *Pontifi-*

tifices Hiſpaniam ſibi uectigalem reddere cogitarunt: uti argumento ſunt literae Gregorii VII ad reges, comites ceterosque Principes Hiſpaniae, id, confirmantes, antiquis temporibus obſeruatum, priusquam a Mauris Hiſpania eſſet euerſa.

(b) Baronius ex literis publicis probat, Arragoniae regem A. 1204. *Romanae ſedi obtuliſſe regnum ſuum, illudque Pontifici et ſucceſſoribus eius conſtituiſſe cenſuale.* Summam cenſus annui fuiſſe CCLV uncias auri, refert Bernardus in Chronico apud eundem Baron. ad a. 1097, n. CVI. Occaſionem et cauſam fuſius enarrat Mariana Hiſt. Hiſp. L. XI, c. 21, et pactum huiusmodi cum Pontifice initum eſſe, addit, *haud obſcure dolentibus uulgo prouincialibus, ab eo initio immunitatis ius imminui, datamque Pontificibus poteſtatem occaſionemque rempublicam in Arragonia turbandi.*

(c) Cum Alphonſus antea Ducis uel Principis titulo uteretur, a. 1139, pridie, quam celebrem illam a quinque Maurorum regibus uictoriam referret, cuius memoriam totidem ſcuta in regni Portugallici inſignibus conſeruant, a militibus rex proclamatus eſt, ut referunt Mariana Hiſt. Hiſp. L. X, c. 17. Reſendius Ant. Luſit. L. IV, p. 960, et alii apud Pagium Crit. ad h. a. n. XXIII.

(d) Brito in Chron. Ciſterc. L. III, c. 4, Brandaon in Monarch. Luſit. L. X, c. 10. ex iisque alii ediderunt diploma huius *donationis, factae Idibus Decembris Era 1180*, h. e. anno C. 1142, cuius haec uerba ſunt: *Quocirca ego Alfonſus, Dei gratia rex Portugalliae, -- -- terram meam B. Petro et S. Romanae Eccleſiae offero ſub annuo cenſu, uidelicet quatuor unciarum auri, ea conditione, ut, qui terram meam poſt deceſſum meum tenuerint, praedictum cenſum B. Petro perſoluant*, reliqua. Cenſus ille deinde auctus eſt, ſi credimus Innocentio III, nouum uectigal *C Byzantinorum* memoranti ep. 99. L. I. Quale hoc genus monetae fuerit, docet M. Freherus de Re monet. L. II, c. 1.

(e) Nullum regem Portugalliae ab Alphonſo uſque ad Dionyſium ab his Romae uexationibus immunem fuiſſe, poſt alios nuper ex inſtituto demonſtrauit Auctor Nouiſſimi Status regni Portugallici nuper ed. c. II. Per. II.

 (f) Bul-

(f) Bulla Alexandri VI, data Romae apud S. Petrum A. 1493. in Cherubini Bullario Romano T. I. p. 347. *motu proprio, non ad ueſtram, uel alterius pro uobis ſuper hoc oblatae petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, et ex certa ſcientia, ac Apoſtolicae poteſtatis plenitudine omnes inſulas et terras firmas inuentas et inueniendas, detectas et detegendas uerſus Occidentem et meridiem, fabricando et conſtruendo unam lineam a polo Arctico, ſcilicet ſeptentrione, ad polum Antarcticum, ſcilicet meridiem, ſiue terrae firmae et inſulae iuuentae et inueniendae ſint uerſus Indiam, aut uerſus aliam quamcunque partem --- autoritate omnipotentis Dei nobis in B. Petro conceſſa ac Vicariatus Ieſu Chriſti, qua fungimur in terris, cum omnibus illarum dominiis, ciuitatibus, caſtris, locis, uillis, urbibus et iurisdictionibus ac pertinentiis uniuerſis, uobis, haeredibusque et ſucceſſoribus ueſtris, Caſtellae et Legionis regibus, in perpetuum tenore praeſentium donamus, concedimus, et aſſignamus, uosque et haeredes et ſucceſſores praefatos illarum dominos cum plena, libera et omnimoda poteſtate, autoritate et iurisdictione facimus, conſtituimus et deputamus.* Bellarminus L. V. de Rom. Pontifice c. 2. concedens, *Papam non eſſe dominum totius mundi*, cum donationem illam Alexandri VI ſibi obieciſſet, reſpondet: *non diuiſit ad eum finem, ut reges illi proficiſcerentur ad debellandos reges infideles noui orbis, et eorum regna occupanda, ſed ſolum, ut eo adducerent fidei Chriſtianae praedicatores.* At, quam uanum ſit hoc effugium, ipſa Alexandri uerba demonſtrant, quibus reges *terris illis, cum plena iurisdictione, donat, et illarum dominos facit*, neque tantum *inuentarum*, ſed et *inueniendarum*. Neque aliter id ab Hiſpanis acceptum eſt, ut qui, auctoritate illa nixi, reipſa *reges infideles noui orbis debellarunt, et regna illorum occuparunt.* Hinc Vincentius de Valle uiridi, ordinis Dominicani monachus, Attabalibae, regi Peruano, per interpretem ſignificabat: *ſe S. Maieſtatis Caeſareae mandato eius excellentiam adiiſſe, idque cum autoritate Romani Pontificis, coeleſtis Seruatoris uicarii, qui Caeſari terras ante incognitas, et nunc primum inuentas dederit.* cui non immerito rex reſpondit: *Pontificem inſigniter fatuum et impudentem eſſe, eo facile prodi, quod aliena tam liberaliter largiatur.* apud Hieronymum Benzonem in Hiſt. Noui orbis L. III. c. 3.

SECTIO

SECTIO II.

De DOMINATVS PAPALIS POST REFORMATIONEM DIMINVTIONE.

I.

Post Reformationem Lutheri Pontifices Rom. non quidem de fastu suo multum remiserunt, neque rerum ab antecessoribus suis contra Imperatores, Reges ac Principes gestarum memoriam deposuerunt, (*) nec illas imitandi, et eandem fabulam denuo ludendi animum conatumque sibi deesse, semel iterumque ac saepius ostenderunt. Sed quam infeliciter hoc ipsis succesſerit, et quantis exciderint ausis, omnium regnorum ac rerumpubl. in quibus olim tanta potentia et auctoritate floruerunt, mutatus per haec duo secula status docet, et nos hoc loco nonnullorum saltem Pontificum, intempestiue imperiosorum, exemplis commonstrabimus.

(*) Exempli loco sit Paulus IV. Pont. qui, *quoties cum oratoribus colloquebatur, in eorum aures huiusmodi sermones crebro intonabat, se regibus cunctis esse superiorem; nolle se arctam cum quouis eorum familiaritatem; sibi concessam regnorum immutandorum potestatem, se eorum, qui reges Imperatoresque e solis suis deturbarint, esse successorem. Saepe illud memorabat, se auctoritatis suae clarum documentum in ipso Pontificatus introitu dedisse, erecta in regnum Hybernia, nec erubuit in Consistorio, in mensa, atque in publico multis audientibus dictitare, se nullum Principem sibi comparem,*

rem, aut ſocium uelle agnoſcere : ſed aequum eſſe, ut ſuo pedi (humum eo tum percutiebat) omnes ſubiiciantur, quandoquidem ita uiſum ei, qui Eccleſiam hanc aedificauerit, et ſe in hoc faſtigio collocauerit, ut teſtatur Petr. Suauis in Hiſt. Concil. Trident. L. V. p. 357. edit. Lat. Gorinchem.

II.

ſub Leone X.

Paulo poſt ſacra emendari coepta, *Leo X.* Pont. Imperatoris Caroli V electioni nulla alia de cauſa interceſſit, quam, quia ex ueteri lege rationibus Papalibus non expedire uidebatur, Principem potentem, ac regni Neapolitani, Romae nimis propinqui, dominum Imperio Romano potiri. (a) Sed Elector Saxoniae Fridericus III. Sapiens Academiae noſtrae conditor, iam tum a Pontifice abalienatus, interceſſione illa inſuper habita, ſententiae et commendationis ſuae auctoritate potiſſimum effecit, ut Carolus Imperator eligeretur, atque adeo decus Auguſtum glorioſiſſimae domui Auſtriacae, contra aulae Rom. et Gallicae machinationes, conſeruaretur. (b) neque Carolum ipſum lex papalis impedire potuit, quo minus faſces imperii ſibi oblatos ſuſciperet. (c)

(a) Georgius Sabinus in hiſt. de elect. et coronatione Caroli V. p. 6. *Ad has literas Rom. Pontifex reſpondens, narrat in foederibus, quae Romana ſedes habeat cum regibus Neapolitanis, cautum eſſe, ne quis ſimul Romanum Imperium teneat. Cum autem ſibi Rom. ſedis priuilegia religioſe et ſumma ope tuenda ſint, ea de re certio-*

certiores factos esse Electores, ne quid fieret contra libertatem et commodum Rom. sedis. add. Sleidanus L. I. p. 19. et de legato Pontificis ea de causa ad comitia Electorum missio Goldastus Constitut. Imperial. T. uno p. 439.

(b) Erasmus Roterodamus in epist. 4. L. XIII: *Ab omnibus delatum imperium ingenti animo reiecit (Fridericus III Elector Saxoniae) idque pridie quam Carolus eligeretur, cui nunquam contigisset imperii titulus, nisi Fridericus deprecatus esset. --- Mox rogatus, quem igitur censeret eligendum, negauit sibi quenquam alium uideri tanti nominis oneri sustinendo parem, quam Carolum. Ob hanc insignem animum a nostris oblata triginta florenorum millia constantissime reiecit. Cumque urgeretur, ut saltem pateretur dari famulis; accipiant,* inquit, *si uelint, attamen nemo postridie manebit apud me, qui uel aureum acceperit: ac postridie conscensis equis, subduxit sese, ne pergerent, esse molesti. Hoc mihi ut compertissimum retulit episcopus Leodiensis, qui comitiis imperalibus interfuit.*

(c) Guicciardinus L. XIII. p. 283. rem eo loco fuisse, ostendit, ut Pontifex, cum maxime vellet, legem Neapolitanam conseruare non posset, atque adeo uel inuitus Carolo capessendi imperii potestatem faceret.

III.

Quod minus optato curiae Rom. sub Leo- *sub Clemente VII.*
ne X euenerat, id corrigere studebat *Clemens VII*, et foedere cum hostibus Caroli V inito, (a) id inprimis agebat, ut Imperatorem regno Neapolitano eiiceret, ac tota, si fieri posset, Italia submoueret. (b) Sed tempora Imperatorum Sueuicorum iam praeterierant. Itaque malum consilium consultori pessimum fuit, et machinationes illae in caput auctoris reciderunt.

Qui

Qui iura Caesarea in Italiam supprimere studebat, eius auctoritas tota Hispania, exemplo hucdum inaudito, exterminabatur. (c) Quin Romam ipsam miles Caesareus expugnatam miserrime uastabat, Pontifice cum suis aegre in molem Hadriani dilapso, ludibriis militaribus uexato, et ad arma tandem, quae aduersus Imperatorem tulerat, deponenda adacto. (d) Non felicius Clemens VII auctoritatem suam in Anglia asseruit, cum regem Henricum VIII a. 1529, ad causam diuortii Romae coram se dicendam, citaret, (e) et uadimonium deserentem a. 1533. praecipitata sententia condemnaret. (f) Hac enim factum esse, constat, ut Ecclesia Anglicana iugum Romanum plane excuteret, (g) omne Pontifici obsequium, et, quod maxime illi doluit, luculentos, quos inde percipiebat, reditus denegaret. (h)

(a) Sleid. c. VI. ad a. 1526. p. 151. *Missis ultro citroque legatis, Pontifex et Veneti foedus cum eo* (Francisco I, rege Galliae) *faciunt. Eius haec erant capita, ut ad tutandam Italiae quietem alatur exercitus, peditum millia triginta, grauis et leuis armaturae circiter sex equitum millia: classis etiam comparetur triremium duo de triginta cum nauibus onerariis: hoste per Insubriam et Italiam debellato, fiat impetus NB. in regnum Neapolitanum, terra simul et mari: expugnatum maneat in Ecclesiae Romanae potestate, sic tamen, ut Galliae regi, qui ius in eo sibi uindicet, aureorum millia LXXV annua soluantur,* reliqua. Hoc foedus a praecipuo auctore *Clementinum*

num siue *sacrum* appellatum esse, testatur Fr. Guicciardinus L. XVI, p. 583. Conf. Thuanus Hist. L. I, ad a. 1524. p. 38. ed. Paris. in 8. et Seckendorf. Hist. Luth. L. II. p. 64.

(b) Conqueritur hac de re ipse Imperator in literis ad Clementem VII, quarum summam exhibet Sleidanus l. d. pag. 153. *Nam et Galliae Rex profitetur palam, quod abs te sollicitatus, antequam ex Hispaniis domum rediret, nouum fœdus inierit, et indicio cognoui, te soluisse illum a iurisiurandi uinculo, quo mihi tenetur, deinde bellum intulisti prius, quam literae, quibus illud denuncias, mihi essent redditae, et eo spectasti, quemadmodum non solum Italia tota me depelleres, uerum etiam ab imperii dignitate deiiceres.* Ipsae hae literae, Granatae d. 17. Sept. a. 1526 scriptae, quibus Imperator a Papa ad concilium provocat, extant in Goldasti Rationali Constitut. Imper. pag. 81. seqq.

(c) Thuanus L. I. p. 39. *Caesar, ut injuriam, sibi a Clemente illatam, ulciscereturr, nominis Pontificii auctoritatem, per omnem Hispaniam abolet, exemplo ab Hispanis ipsis posteritati relicto, posse ecclesiasticam disciplinam citra nominis Pontificii auctoritatem ad tempus conseruari.*

(d) Praeter Sleidanum, Guicciardinum, Thuanum, legantur qui expugnationem hanc et direptionem urbis Romae A. 1527. factam, ex instituto descripserunt, Caesar Grolierius, Hist. expugnatae et direptae urbis Romae, Par. 1537. Auctor relationis de excidio Romae apud Goldastum in *Politischen Reichs-Händeln* P. XII. Commentarius captae urbis, cum praefatione Ioa. Cammerarii T. II. Schardii insertus, etc. Tabulae pacis inter Carolum V et Clementem VII A. 1526. initae, extant in Ad. Reisneri Hist. et rebus gestis Frundsbergiorum L. VII. p. 146.

(e) Factum hoc est literis die 15. Iulii anni 1529. a Pontifice subscriptis, et die 19. in Angliam missis, ut Gilb. Burnetus, diligentissimus in hoc argumento scriptor, L. I. historiae Reformationis Anglicanae ad h. a. notauit. Idem consilii eius occasionem pluribus exponit, de insigni Clementis

VII mutabilitate testantem, quam et ante Burnetum Petrus Suauis Lib. I. Hist. Concilii Trid. ad a. 1534. prodidit, neque dissimulauit Dupinius in Noua Bibl. Auctorum Eccles. T. XIII. c. 2. §. 26. Summa huc redit: Pontifex, donec regis Anglicani societate et auxilio contra Imperatorem utebatur, causam illius sat bonam et facilem iudicabat: adeo, ut Campegio legato, quem anno 1528. in Angliam mittebat, potestatem matrimonii regii cum Catharina Hispanica, Imp. Caroli V amita, dissoluendi potestatem per *Breue* siue diploma quoddam concedere non dubitaret. Sed paulo post Imperatori reconciliatus, huius potiorem rationem habendam esse, intelligebat. Hinc eodem anno Campanam, cubiculariam suum, ad Capegium cum nouis mandatis misit, ut Breue illud igni cremaretur, et res, quantum fieri posset, extraheretur. Denique cum nullus ampliori tergiuersationi locus esset, et Imperator Catharinae, amitae suae, causam, uelut clandestinam condicionem pacis cum Pontifice factae, urgeret, totam litem ex Anglia ad tribunal Romanum auocauit, ipsumque Henricum regem, cum Catharina coniuge, coram se comparere iussit. Et ab hoc potissimum tempore auctoritas Papalis in Anglia palam oppugnari coepit.

(f) Causam praecipitatae huius sententiae, quae omnem reliquam Anglicanae Ecclesiae cum Romana coniunctionem, semel iterumque male refocillatam, penitus tandem abrupit, alii in decreta Anglicana, hucdum contra Pontificis potestatem facta, alii in Caesareorum sollicitationes conferunt. Et utrisque sane curiam Romanam non parum commotam fuisse, facile credimus. Non illepidum uero est, quod Petrus Suauis in Hist. Concilii Trid. L. I. ad a. 1534. Pontifici et sacro Romano concilio, in hanc sententiam inclinanti, ultimum pondus addidisse, his uerbis refert: *in ea quaestione dimidio Quadragesimae exacto, die XIX Martii nuncius Romam fuit perlatus, famosum libellum contra Papam et uniuersam aulam Romanam in Anglia publicatum: etiam Papam et Cardinales, magno ipsorum probro et uituperio, in comoedia coram rege et aulicis sceniee repre-*

repraesentatos. Quibus rebus commota omnibus bile, sententiam aduersus regem praecipitarunt, et eiusdem mensis die XXIV in senatu pronunciarunt, matrimonium inter Henricum et Catharinam reginam fuisse legitimum, eamque illi pro uxore habendam, ac nisi habeat, pro excommunicato reputandum. Istius sententiae praecipitatio Pontificem statim male habuit. Etenim intra sex dies regis Galliae literae Romam peruenerunt, quibus scripsit, regem Angliae contentum, etc. Quas literas Sarpius intra sex dies Romam peruenisse, scribit, Burnetus nonnisi duobus post decretum illud diebus allatas fuisse, et ad tantam Patres purpuratos facti poenitentiam redegisse, confirmat, ut multi sententiam illam plane reuocandam censerent.

(g) Insignem hanc Anglicanae Ecclesiae conuersionem Sleidanus Lib. IX, ad a. 1534. paucis his uerbis luculenter describit: *Vbi sententiam contra se latam esse cognouit,* (Henricus VIII) *grauissimum odium in Pontificem concipit, et continuo decretum facit, quo se, per Angliam, ecclesiae caput, proximum a Christo, pronunciat, et pontificatum plane proiicit, et capitis poenam constituit, si quis episcopo Rom. supremam potestatem adscribat: tributum etiam annuum, Romani Pontificis quaestori dari solitum, denegat, et ne qua pecunia Romam deinceps deferatur, grauissimis uerbis edicit, et haec quidem omnia, de senatus ordinum regni, quod Parlamentum uocant, assensu.* Sed ipsum decretum senatus Anglicani audire iuuat, cuius promulgationem, argumentum, et uerba ipsa Burnetus ad a. 1534. L. I. p. 109. hoc modo recenset: *On the 9th of March, the Commons began the Bill for taking away the Pope's Power, and sent it to the Lords on the 14th, who past it on the 20th without any dissent. In it they set forth „ the Exactions of the court of Rome, grounded on „ the Pope's Power of dispensing; and that as none could dispense with „ the Laws of God, so the King and Parliament only had the Autho„ rity of dispensing with the Laws of the Land, and that therefore „ such licenses or dispensations as were formerly in use, should be for „ the future granted by the two Arch-bishops, some of these were to be „ confirmed under the Great Seal, and they appointed, NB. that there„ after all commerce with Rome shoult cease.*

 (h) Quae

(h) Quae annatarum nomine Pontifici in Anglia soluebantur, rex iam anno 1532, consentiente senatu Anglicano, sustulerat, cuius decreti summam Burnetus ad h. a. repraesentat: ita tamen, ut spes non omnino nulla illas recuperandi relinqueretur. At, post latam aduersus regem sententiam, non modo decretum illud confirmatum, sed et omnes alii reditus Pontificii intercepti regique adiudicati sunt. Praeter Sleidanum et Burnetum ll. dd. breuiter et perspicue Petrus Suauis: l. d. *Quo audito*, inquit, *rex sub initium anni 1534. Pontificis obedientiam detrectat, suisque omnibus edicit, ut neque Romam pecuniam deferant, neque diui Petri denario quotannis colligi solitos, cuiuis quaestori dependant. Ea res aulam Romanam uehementer angebat*

IV.

sub Paulo III

Ac Paulus quidem III, iniuriam istam ulturus, a. 1537 horribilem aduersus Henricum VIII sententiam tulit, (a) qualis olim ad regem solio deiiciendum sat efficax fuisset. (b) Sed cum semel uetus illa de pontificis in reges potestate opinio in hominum animis exoleuisset, fulmen illud Vaticanum, magno licet conatu uibratum, inanem edebat strepitum, et securo Henrici contemptu excipiebatur. (c)

(a) Sententia Pontificis iam a. 1535. III Cal. Septemb. aduersus regem lata et literis mandata, sed ob reconciliationis spem aliquandiu suppressa, et a. 1537. demum promulgata, extat in Cherubini Bullario Rom. T. I. p. 514. In ea Paulus III sibi, ut Christi Vicario, *praecipuum super omnes reges uniuersae terrae principatum* asserit, *ut eos, secundum uaticinium Ieremiae uel aedificet et plantet, uel euellat et destruat.* Et pro hac potestate, Henricum, nisi intra 90. dies coram se causam dixerit, et de obiectis criminibus satisfecerit, regno omnibusque possessionibus priuat, una cum omnibus assecliis infamem declarat,

rat, et subditos sacramenti religione, omnesque Principes societatis et foederum cum eo initorum uinculo liberat, utrosque arma contra illum capere, eius bona diripere, et subiectos, edicto suo immorigeros, in seruitutem redigere iubet: qui uero opem illi tulerint, eiusdem poenae reos facit. Burnetus, dum sententiam hanc, non repentino impetu, sed bene subducta ratione, et maturo diuque deliberato consilio, *ex Cathedra* pronunciatam, memorat, omnes illam considerantes alterutrum horum necessario agnoscere oportere, ait, *aut Papae infallibilitatem esse fraudem, quo generi humano imposuit, aut reuera reges deiiciendi potestatem illi couuenire.* In Hist. Ref. ad A. 1537.

(b) Non male Burnetus L. I. ad a. 1537. p. 205. iudicat: *If this had been an Age of Croissades, no doubt there had been one undertaken against him; for it was held to be as meritorious, if not more, to make War on him, than on the Turk. But now the Thunders of the Vatican had lost their force.*

(c) Papa executionem sententiae suae speciatim commendabat regibus Galliae et Scotiae. Sed neuter propterea bellum Henrico inferebat. Episcopis quibuscunque, et maxime Anglicanis, eius publicationem demandabat, sed Clerus Anglicanus declarationem edebat, qua *omnes sacri ordinis homines regni et Cleri hostes* iudicabat, qui *vel ius gladii, uel potestatem in reges sibi arrogarent*, apud Burnet. l. d.

V.

Paulus IV. A. 1558. reges ac principes haereticos, hoc est, dominatum suum non agnoscentes, ad unum omnes gradu deiecit, omnibusque honoribus et possessionibus priuatos declarauit. (a) Speciatim Elisabetham regno Angliae indignam iudicauit. (b) Sed neque haec, neque illorum quisquam Papæ sententia stetit aut cecidit. *sub Paulo V, et Pio IV*

(c) Ac ne in solos Principes, quos uocat, haereticos tam seuerus iudex esse uideretur, ipsum Ferdinandum, Caroli V fratrem, uel propterea Imperatorem agnoscere noluit, quod iniussu suo Imperium ad eum fuisset translatum. (d) Sed huius arrogantiae successorem eius Pium IV merito poenituit: (e) et inaugurationem Romanam, a Paulo IV denegatam, nec Ferdinandus deinde, nec subsequentium Imperatorum quisquam, ad hunc usque diem amplius petendam censuit. (f)

(a) Pauli IV. Bulla de Haereticorum et Schismaticorum poenis Romae X. Cal. Mart. a. 1558. data, et post nouennium a Pio V renouata, Decretalium L.V. Tit. 3. c. 9. inserta, *omnes et singulas sententias, censuras, poenas, Rom. Pontificum, praedecessorum suorum, apostolica auctoritate innouat, ac perpetuo obseruare iubet, contra omnes haereseos conuictos, cuiuscunque status, gradus, ordinis, etiamsi --- Ducali, Regali, et Imperiali auctoritate seu excellentia praefulgeant.* Et hos quidem deinde iudicat *omnibus regnis et Imperiis in totum et perpetuum priuatos, et ad illa de cetero inhabiles et incapaces --- regna, ducatus, feuda, dominia et bona huiusmodi publicentur, et efficiantur iuris et proprietatis eorum, qui illa primo occuparint, si in sinceritate fidei, et unitate sanctae Rom. Ecclesiae, ac sub nostra et successorum Pontificum Rom. canonice intrantium obedientia fuerint.* Tali formula *in coena Domini* hodienum quotannis omnes, quos Roma haereticos uel schismaticos iudicat, solenni ritu deuoueri, constat.

(b) Cum Elisabetha inaugurationem suam, per Mariae, sororis defunctae, legatum Romanum, Pontifici significasset, *hic pro ingenio respondit, regnum Angliae feudum esse sedis Apostolicae; eam, utpote illegitimam, regno non posse succedere: neque posse se, quae a Clemente VII et Paulo III definita fuerint, impugnare. Intolerabilis esse audaciae, nomen aut administrationem regni,*

gni, ipso non approbante, assumere, reliqua apud Pet. Suauem Hist. Conc. Tr. L. V. ad a. 1558.

(c) Bullam *in Coena Domini* ipsi reges ac principes Romano-Catholici detestati sunt, ac nominatim reges Galliae proscripserunt, interdicto nouissime repetito in SCto curiae Paris. 1716. promulgato, quod Dupinius Defensioni Monarchiae Sic. subiecit, p. 228.

(d) Wilh. Godeleuaeus in Hist. de abdicatione Imperii a Carolo V facta, cum Guzmannum ab Imp. Ferdinando Romam missum esse, retulisset, ut Pontificem de Imperio ad se translato certiorem faceret; in concilio Romano propterea conuocato decretum fuisse, addit: *omnia, quae sint acta in diaeta Francofurdiae circa hanc materiam, esse nullius ualoris, cum non interuenerit auctoritas sedis Apostolicae, cum Vicario Christi claues coelestis et terreni Imperii datae sint. -- -- Quocirca Carolum V non potuisse renunciare aut cedere, uel alia ratione deponere huiuscemodi imperialem dignitatem. -- -- Quocirca Ferdinandum nouum mandatum conficere debere ad confirmationem petendam, inprimis se offerendo examini, ut ab his, quae illi opponantur, purgare se ualeat, ut absolutionem impetret, debitam obedientiam exhibendo. -- Ab hac Cardinalium resolutione Papa Caesaris oratorem detinet, eique audientiam denegat. Hic itaque Caesareae Mai. significat, quod Pontifex nec se, tanquam Oratorem Caesareum audire, nec eius Mai. pro Imperatore agnoscere uelit.* Tom. II. Schard. p. 653. Idem referunt Petr. Suauis Hist. Concil. Trid. L. V. ad a. 1558. et Thuanus L. XXI. ad a. 1558.

(e) Pet. Suauis l. d. ad a. 1559. post mortem Pauli IV, *communi Cardinalium et Pii IV consilio existimatum esse*, scribit, *uitandam omnem cum Imperatore tractandi occasionem, quae in Pontificis ignominiam esset desitura: quin potius anteuertendum Imperatoris postulatum, eo, quod petatur, ultro concesso. Quam sententiam Pontifex amplexatus, prudentia aequae maioris reputans, id donare, quod neque uendere possit, neque retinere, confestim accersi iubet Franciscum Turrinum, Caesareum ministrum Romae, eique nuntiat, se Imperatoriam dignitatem a Carolo in Ferdinandum translatam ratam habere etc.* Idem confirmat Godeleuaeus l. d.

(f) Ferdinandus aeque ac omnes ejus ad hunc usque diem

diem in Imperio ſucceſſores, omiſſa licet inauguratione Romana, dicti ſunt *electi Imperatores Rom.* more per Maximilianum I. a. 1507. introducto, de quo leg. huius literae apud Mullerum in Reichs-Tags Staat L. V. c. 6. Ac olim quidem in *Capitulationibus* promittere ſolebant, ſe operam daturos, ut quam primum corona Romana potirentur. Sed in poſterioribus capitulationibus haec formula plane omiſſa eſt.

VI.

ſub Pio V Pio V, Coſmum Florentinum, ſua auctoritate *magnum Hetruriae ducem* creare, et corona regia donare auſo, (a) Imperator Maximilianus II, ſtrenue interceſſit, et ius ſuum aſſeruit. (b) Idem Pontifex aduerſus Eliſabetham, reginam Angliae, ueteres proſcriptionum formulas repetiit: (c) Verum eas, quaſi iam exoletas, non ii tantum, qui iam ante a coetu Romano ſeceſſionem fecerant, ſed ipſi etiam Pontificii contempſerunt. (d)

(a) Schardius de reb. geſtis ſub Maximil. II. ad a. 1570. p. 136. *Pontifex Pius V Coſmum Florentiae Ducem, quem ſuperiori anno Magnum Ducem Hetruriae ſalutauerat, ſolenniter Romae in S. Sixti ſacello, praeſentibus omnibus Cardinalibus inaugurat, eiusque capiti coronam benedictam imponit, manibusque ſceptrum tradit.* Pluribus et ex inſtituto hanc inaugurationem deſcribunt Nat. Comes, Venetus, L. XXI Hiſtoriar. p. 455. et Pet. Iuſtinianus L. XV Hiſt. Venet. p. 328.

(b) Schardius l. d. Imperatorem *per ſpeciales legatos eam coronationem impugnaſſe*, ſcribit, *utpote quae fieret in praeiudicium Romani Imperatoris, ſine cuius conſenſu et approbatione Ducem Florentiae ad hanc dignitatem euehere non liceret, cum Florentia et Senae urbes inter Cameras S. Rom. Imperii cenſeantur.* Pet. Iuſtinianus l. d. ad ipſum diploma Imp. Maximiliani II prouocat, quo

quo hic, *suas partes esse*, asserebat, *non Pontificis, similes honoris praerogatiuas concedere.* Natalis Comes l. d. et Thuanus L. LX. Cosmum, et Franciscum, qui sororem Maximiliani in matrimonio habebat, aegre tandem ab hoc *obtinuisse*, ostendunt, ut, dignitate et insignibus regis omissis, titulus *Magni Ducis* Hetruriae *Francisco, tanquam Imperii beneficiario, confirmaretur.*

(c) *Pii V sententia contra Elisabetham, ptaetensam Angliae reginam, et ei adhaerentes haereticos, data Romae apud sanctum Petrum A. 1569. V. Cal. Martii*, extat in Camdeni Annalibus ad a. 1570. p. 183. *In ea de Apostolicae potestatis plenitudine declarat, praedictam Elisabetham haereticam, eique adhaerentes, anathematis poenam incurrisse: quin etiam ipsam praetenso regni praedicti iure, nec non omni et quocunque dominio, dignitate, priuilegioque priuatam: proceres, subditos et populos dicti regni, ac ceterorum omnes, qui illi quomodocunque iurauerunt, et iuramento huiusmodi, et omni prorsus dominii, fidelitatis et obsequii debito, perpetuo absolutos.* Iisdem porro *praecipit, ne illi, eiusue monitis, mandatis et legibus, audeant obedire, et qui secus egerint, eos simili anathematis sententia innodat.*

(d) Camdenus l. d. p. 186. *Hanc Bullam Pontificii plerique modestiores tacite improbabant, praeuidentes molem malorum inde sibi impendere, qui prius priuatim sua sacra intra parietes satis secure coluerunt — multique illorum in debita deinceps obedientia firmi permanserunt, cum uicinos principes, et catholicas prouincias assuetis cum regina comerciis minime abstinere, et bullam, tanquam uanum uerborum fragorem, contemni, uiderent.* Ac uidebatur quidem postea Philippus II executionem sententiae papalis, a Sixto sibi demandatam, suscipere, cum classem, quae dicebatur, *inuincibilem*, aduersus Elisabetham instrueret, licet ambitione et regnandi cupiditate magis, quam religione, aut mandato pontificio inductus. At cum uis externa nulla superstitione domestica sustentaretur, maximus belli apparatus Elisabethae gloriam auxit potius, quam potentiam et auctoritatem ulla ex parte minuit, classe illa inuincibili, non uicta solum, sed et internecione profligata.

VII.

ſub Sixto V et Gregorio XIV.

Non plus roboris habuerunt Sixti V et Gregorii XIV ſententiae, quibus Henricum Nauarrae, poſtea etiam Galliae, regem, et Henricum Borbonium, principem Condenſem, diris deuotos, regno principatuque exutos, et ad ſucceſſionem regni Gallici inidoneos iudicarunt. (a) Nam neque ſubditi propterea obſequium legitimis dominis ſuis detrectarunt, et hi ipſi iniurias Papales in auctorem retorſerunt. (b)

(a) Extat Sixti V *Declaratio contra Henricum Borbonium, aſſertum Regem Nauarrae, et Henricum Borbonium, praetenſum Principem Condenſem, haereticos, eorumque poſteros et ſucceſſores, ac liberatio ſubditorum ab omni fidelitatis et obſequii debito, Romae et Coloniae*, 1585. ed. ubi multa de autoritate ſua, *ſupra omnem terrenorum regum poteſtatem ſupereminenti*, praefatus, pergit: *Itaque in praeceſſo hoc ſolio, et in plenitudine poteſtatis, quam ipſe rex regum et dominus dominantium nobis tribuit, conſtituti -- -- pronunciamus, ac declaramus, Henricum, quondam regem, et Henricum Condenſem eſſe ipſo iure priuatos --- praetenſo Nauarrae regno --- nec non dignitatibus, honoribus, iuribus*, reliqua. Henricum uero, Galliae regem, obteſtatur, ut executionem huius ſententiae ſuſcipiat. Poſt mortem Sixti V, et Henrici III, Gregorius XIV multo acerbiores aduerſus Henricum IV, nouum Galliae regem, ſententias promulgauit.

(b) Henricus Nauarraeus ſcripto publico, in ipſa urbe Romae, ad Morforii et Paſquini ſtatuas, aliisque celebrioribus locis affixo, de iniuria ſibi illata conqueſtus, Papam *mendacem, haereticum et Antichriſtum* declarauit, *donec ea, quae ſibi impegerat, probaſſet.* Poſtea uero, quam regnum Galliae obtinuit, in hoc SCtum factum eſt, quo *monitoria*

toria Romana declarantur *nulla, seditiosa, impietatis et impostu-rarum plena :* decernitur praeterea, ut exempla eorum a carnifice publice lacerentur, et ante portam palatii, in quo ius dicitur, comburantur, Gregorius Papa *publicae pacis, unionis Ecclesiae catholicae, regis regnique hostis, rebellium fautor, immanis ac detestandi parricidii, per proditionem contra Henricum III regem patrati, reus declaratur,* apud Thuanum.

VIII.

Postquam tali ratione censurae papales o- *sub Sixto V et con-*
mnem pene uim et efficaciam perdiderunt, de *seqq. Pont.*
nouo reges immorigeros deturbandi remedio cogitatum est. Aperto bello publicisque seditionibus, quibus olim Principes, a Pontifice proscripti, coercebantur, clandestinas insidias, et militibus cruce signatis, quorum copia post reformationem non datur, sicarios et parricidas substituere placuit, ipsa religionis, ac singularis cuiusdam meriti persuasione, ad exequendam Pontificis uoluntatem inductos. (a) Hac certe disciplina castigati, imo trucidati sunt Henricus III (b) Valesius, et Henricus IV Nauarraeus, (c) Galliae reges, Pontifici Rom. inuisi. Eadem parricidas Anglicanos in reginae Elisabethae, (d) diris papalibus deuotae, et regis Iacobi I caedem, irrito licet conatu, armauit. (e) Miseram uero, imo impiam tuendae auctoritatis rationem, quae solo scelerato-

rum auxilio nititur, et parricidarum metu continetur!

(a) Dogma, quod tyrannus, h. e. princeps quicunque, etiam legitime electus, uel haereditario iure regnum adeptus, qui religionem et leges publicas euertit, a quocunque subdito, *licite et meritorie*, ut loqui amant, occidatur, in Iesuitarum praecipue scholis assertum, et seculo XVI a Io. Mariana publice propositum fuisse, satis constat. Auctor hic, patria Toletanus, ex historia Hispan. aliisque scriptis sat notus, A. C. 1554, aetatis XVII, inter sodales Ignatianos nomen professus, et ab a. 1561. Romae aliquandiu uersatus, anno 1624. aet. 87. Toleti decessit. Leg. Nic. Antonius in Bibl. script. Hisp. T. I. p. 560. et Baelius in Diction. Hist. *V. Mariana.* Illam, quam dixi, doctrinam prodidit Mariana in libro de Rege et Regis institutione, Toleti a. 1598. cum superiorum approbatione, et Regis priuilegio primum edito, et VI Id. Iun. A. ∞ IↃcX ex SC. Lutetiae Parisiorum, ante fores templi cathedralis, combusto. (uid. Thuan. Contin. Lib. III. p. 86.) Speciatim L. I. c. 6. p. 54. Iacobi Clementis parricidium haud obscure commendat, et c. 7. p. 65. *Est quidem*, inquit, *maioris uirtutis et animi, simultatem aperte exercere, palam in hostem reipubl. irruere: sed non minoris prudentiae, fraudi et insidiis locum captare, quod sine motu contingat, minori certe periculo publico atque priuato.* et pag. 74: *Itaque aperta ui et armis posse occidi tyrannum, siue impetu in regiam facto, siue commissa pugna, in confesso est, sed et dolo atque insidiis exceptum.* Neque uero ea doctrina unius forte Marianae propria fuit, sed aliis quoque Iesuitis, saltem occulte, se probauit. Tales certe erant praeceptores Io. Castelli, parricidae, cuius sica a. 1594. iugulum regis Henrici IV petiit. Dum enim delegati in aedibus Claromontanis abdita scrutarentur, inter chartas Guignardi, ex illa societate sacerdotis, multa reperta sunt, in regem defunctum, et regem, qui tunc erat, contumeliosa, ad parricidia et seditiones spectantia, laudatum Iacobi Cle-

Clementis (parricidae) facinus, uelut a Spiritu S. insinuatum, reliqua apud Thuanum L. CXI ad a. 1594. sub fin. Quae causa fuit, quamobrem Guignardus laqueo strangulatus, eius socii, Iesuitae, exilio multati, et toto regno excedere iussi sunt. Hoc SCtum, pyramidi, super ruinis paternae Castelli domus inscriptum, cum non ita pridem Iosi. Iuuencus in Hist. Soc. Iesu P. V tomo post. Romae 1710. ed. uelut iniquum pupugisset, liber iste, una cum auctore, supremae curiae Parisiensis sententia damnatus, totoque regno proscriptus est. Placitis Marianae nihilo saniores sunt propositiones istae Santarelli, S. I. in lib. de haeresi, schismate, apostasia, et de potestate summi pontificis in delictis his puniendis, Romae 1625. cum superiorum permissu edito: *Papa habet in principes potestatem directiuam, ergo et correctiuam. Summus ergo Pontifex potest haereticum Principem punire, etiam poenis temporalibus, et regno priuare,-- -- potest etiam reges negligentes NB poena mortis, ad aliorum exemplum punire. Pertinet enim ad pastores punire oues suas, neque enim Principes sunt extra ouile Ecclesiae.* Quae portenta, acri Sorbonae censura notata, suprema curia Parisiensis manu carnificis comburenda censuit, ipsis Iesuitis Parisiensibus ad ea damnanda adactis, ut refert Grammondus, ex eoque et aliis Heideggerus Hist. Pap. p. 362. Eadem Sorbona nouo corpori doctrinae, cuius prior pars hoc ipso anno absoluta est, hunc *Articulum* inserendum censuit: *Execranda est, et haeretica haec propositio: quilibet tyrannus potest et debet licite et meritorie occidi, per quemcunque Vassallum suum, uel subditum, etiam per clanculares insidias, et subtiles blandicias uel adulationes, non obstante, quocunque praestito iuramento, seu confoederatione factis cum eo, non expectata sententia uel mandato iudicis cuiuscunque.* uid. Hist. Crit. de la Republ. des lettres T. XIII. p. 242.

(b) Iacob Clemens, Henrici III parricida, sacerdotem prius consuluerat: *saluane conscientia Henricum Valesium occidere possit?* qui ei respondit: *id non solum inoffensa conscientia fieri posse, sed multum apud Deum meriturum, et, si in actu ipso moriatur,* (sicarius) *procul dubio inter beatorum choros animam eius euo-*

laturam: ut refert Thuanus L. 96. ad a. 1589. p. 299. et 300. Ac ne quis forte consilium illud simplicis monachi, a Pontificis Rom. sententia alienum credat, audiat, quae idem Thuanus non multo post addit: *Postquam de regis morte Romae allatum est, Pontifex in Consistorio, III Id. Septembr. habito, praemeditatam orationem habuit, qua factum Clementis operi assumptae a Domino carnis, et resurrectionis eiusdem mysterio, ab Habacuco uate praedicto, propter magnitudinem et rei admirationem, comparat: tum uirtutem hominis, animi robur, et feruentem erga Deum amorem supra Eleazarum et Iuditham multis uerbis extollit*, reliqua.

(c) De Francisco Rauaillaco, Henrici IV sicario, Is. Casaubonus in epist. ad Frontonem Ducaeum scripta: *a supremae*, inquit, *auctoritatis iudicibus de causa suscepti parricidii interrogatus,--- liquido et diserte respondit: ideo se, quod fecisset, fecisse, quia rex, Protestantibus Germaniae principibus opem ferre parans, in causa Cliuensi, Pontifici maximo rem faceret ingratam, ac proinde dignus esset, qui periret. Deum enim se in terris Romanum Pontificem agnoscere; cuius uoluntati qui se quouis pacto opponeret, eum se habere αὐτοκατάκριτον et exitio deuotum. Ipsissima*, addit Casaubonus, *feralis illius prodigii uerba sunt: Papa est Deus, et Deus est Papa.*

(d) Quibus auctoribus tot contra Elisabetham coniurationes conflatae fuerint, ipsi pontificii Angli, in suis contra Iesuitas scriptis, docuerunt, quorum argumentum Camdenus in Annal. ad a. 1602 his uerbis recenset: *ne quidem toto decennio post bullam Pii V in Elisabetham promulgatam, et pontificiorum rebellionem, plures quam XII sacerdotes morte affectos, et ex iis aliquot perduellionis manifestos, usque ad a. 1580, quo Iesuitae in Angliam surrepserunt. Istorum sceleratas in rempl. molitiones omnia conturbasse, Catholicam religionem admodum labefactasse, et seueras in Catholicos leges elicuisse. Ab eo tempore seminaria in Hispania, curante Personio, Iesuita Anglo, Anglis fuisse posita: et iis sacerdotes turbulentos singulis annis in Angliam fuisse submissos -- Holtum, ex eadem societate, subornasse Heskettum ad rebellionem conflandam, atque Collinum, Yorcum, et Williams,*

ad

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn841312109/phys_0078
DFG

ad reginam ferro tollendam, et Walpolum Iesuitam Squiero idem nefandum facinus ueneno patrandum suasisse. Postremo pontificios Anglos obtestati sunt, ne liberos in Iesuitarum seminariis educandos transmitterent, qui proditionis uirus teneris animis cum primis rudimentis infundere assolent.

(e) Inter coniurationes aduersus Iacobum Regem Britaniae, famosissima et post hominum memoriam sceleratissima est fulminea, illa, qua non regi solum, sed simul uniuerso senatui regni Anglicani exitium parabatur. Ex quo principio illa profecta fuerit, ostendunt consultationes, ipsorum auctorum literis scriptisque proditae, apud Thuanum L. CXXXV. ad a. 1605. ubi, *Ante omnia*, inquit, *conscientiam instruunt, eaque instructa, ad facinus audendum obfirmant animum. Sic autem a Theologis suis differebatur: regem deponere, regna concedere, penes supremum Ecclesiae iudicem esse; haereticos omnes, ipso iure extra communionem positos, diris fidelium atque proscriptionibus separari, et quotannis in coena Domini a pontifice excommunicari --- ex eo sequi, reges, aut alios principes Christianos, si in haeresin incidant, deponi posse, et subditos eorum dominio protinus liberari.* et paulo post: *Ita ad facinus non solum licitum et laudabile, uerum etiam meritorium a Theologis suis auctorati accesserunt.* Extant Acta Garneti, Iesuitarum per Angliam *Generalis*, eadem de causa supplicio affecti, quae, ab istorum in regnum Angliae ingressu, nullum quadriennium sine noua coniuratione praeteriisse, demonstrant.

IX.

Ineunte seculo XVII, luculentum fractae, *sub Paulo V.* et in summum contemptum adductae auctoritatis Papalis exemplum praebuit Pauli V cum Venetis controuersia. Hos pontifex legem de rebus soli ad sodalitates religiosas, inconsulto senatu, non transferendis, abrogare iusserat, reluctan-

luctantes sacris interdixerat, sacerdotes omnes illorum ditione euocarat, imo et bellum in proscriptos decreuerat. At cum S. P. Q. Venetus, neque censuris, nec minis territus, causae suae iustitiam scriptis pariter ac armis assereret, et Iesuitas Papae obnoxios, perpetuo exilio multaret; Paulus V interdictum suum, exemplo antea uix audito, per praeconem reuocare, (a) leges, quas damnauerat, ratas habere, atque adeo gladium intempestiue strictum, re infecta, in uaginam recondere (b) necesse habuit. Quantum inde aula pontificia dolorem ceperit, uel hinc iudicare licet, quod non solum scripta pro Venetis edita pro uirili suppressa, (c) sed et in F. Paulum Seruitam, praecipuum illius causae patronum, sicarii immissi fuerint. (d)

(a) Thuanus, qui integro libro CXXXVII huius controuersiae historiam copiose exponit, Pontificem, posthabita Iesuitarum restitutione, has tandem pacis conditiones accepisse, ostendit: *ut Venetis libertas integra esset, in iis, quae Papa in controuersiam uocarat, interdictum Papae, Venetiis, XI Cal. Maii, coram Principe et XXV primariis senatoribus, ualuis clausis, uoce praeconis, reuocaretur, et senatus uniuersique subditi ac ordines, qui in censuras incurrerant, ab iis absoluerentur.*

(b) Ab hoc tempore Pontifices, fero sapientes, diris aduersus reges et principes abstinuerunt, et secuti sunt consilium Nic. Pontani, Venetorum Ducis: *uti debere Pontifices censuris et anathematibus suis, instar gladii uaginae inclusi, non temere distringendi, ne discerent homines eiusmodi telum contemnere.* Heideggerus Hist. Pap. p. 330.

(c) Non

(c) Non ea tantum, quae Ioh. Marsilius, Paulus Seruita, et alii in Italia pro Venetis scripserunt, Pontifex, quantum potuit, suppressit, sed et exterorum libros eo spectantes abolere studuit. Exemplo esse potest scriptum Casauboni, ex cuius XI capitibus M. Goldastus non nisi duo priora cum parte tertii, tomo I Monarchiae, sub hoc titulo, inseruit: *I. C. G. liber de libertate Ecclesiastica*, et p. 716, ubi caput III abrumpitur, adscripsit: *cetera desiderantur, per Papam Paulum V effecta, ut regio mandato inhiberentur.* Scilicet cum liber eo usque excusus esset, interdicto Henrici IV, Pontifici gratificantis, editio eius impedita est. Nihilominus exempla quaedam pagellarum iam impressarum seruata sunt, ut refert Theod. Ians. ab Almeloueen, qui idem illud fragmentum cum Epistolis aliisque opusculis Casaubonianis edidit Roterodami, 1709. Conf. Clerici Bibl. Choiſ. T. XIX p. 235. Cetera scripta, ad hanc controuersiam spectantia, ex instituto recensent Sagittarius Introd. in H. E. cap. XIX §. 53. p. 470. et Auctor *des Päbstlichen Unfugs vvider die Kron Preussen* c. 1. p. 19.

(d) Fr. Paulum Seruitam una cum Io. Marsilio et aliis, propter scripta pro Venetis edita, Romam ad Inquisitionis tribunal citatos esse, testatur Thuanus l. d. Cum uero, patrocinio Venetorum fretus, nonnisi per literas causam dixisset, a sicariis prope monasterium suum confossus, et pro mortuo relictus est. Interim Venetorum Dux percussores eius, Io. Paulum Florentinum, et Paschalem Bitontium, cum fuga se eripuissent, ut infames proscripsit, et IIIIM ducatorum publice promisit, si, quis illos uiuos mortuosue traderet.

X.

Innocentius X pacem Westphalicam, anxi- *sub Innocentio X*
is totius Germaniae uotis suspiriisque expetitam, et aegre tandem conciliatam, singulari interdicto irritam declarabat, et de integro classi-

cum canebat. (a) Sed hoc, uelut iniquissimo, (b) insuper habito, pax illa legis publicae uim, omnium ordinum consensu, obtinuit, et, quod summi Numinis beneficio acceptum referimus, ad hunc usque diem conseruauit.

(a) Fabii Chisii, legati papalis, *protestatio* extat in Londorpii Tomo VI p. 423. et ipsius Pont. *declaratio nullitatis Articulorum nuperae pacis Germaniae*, d. 26. Nouembris a. 1648 data, p. 473. In hac praeter cetera crimini dat, quod *numerus Electorum Imperii, olim Apostolica auctoritate praefinitus, sine suo et sedis praefatae beneplacito, augetur, et octauus Electoratus in fauorem Caroli Ludouici, haeretici, instituitur. Hinc, de Apostolicae potestatis plenitudine, decreta illa ipso iure nulla, irrita, iniusta, damnata, uiribus et effectu uana omnino fuisse, esse, et in perpetuum fore*, decernit, et addit: *ad abundantiorem cautelam articulos praefatos ---- penitus damnamus, reprobamus, nullamus, cassamus, annullamus, uiribusque et effectu uacuamus, et contra illa deque eorum nullitate coram Deo protestamur.*

(b) Consilium illud Pontificium inutile, publice priuatimque noxium, ab omni aequitate, et iustitia alienum esse, ex nostratibus demonstrarunt Io. Georg. Dorschaeus, Herm. Conringius, sub nomine Irenaei Eubuli, et Bened. Carpzouius sub nomine Ludouici de Monte Sperato; ex Reformatis Io. Hornbekius, Dauid Blondellus, sub nomine Amandi Flauiani, et alii.

XI.

sub Alexandro VII.

Fabius Chisius, Innocentii X legatus, et, sub nomine Alexandri VII, successor, in ea tempora incidit, quibus potestas Papae in reges ac principes, pariter ac *infallibilitas*, sub Christianissimi regis auspicio, publice negata atque reiecta

iecta est: (a) tantumque abfuit, ut Pontifex iste, humili illa deprecatione, qua legati Gallici uiolati culpam expiauit, abrogationem doctrinae sibi adeo inuisae impetraret, ut haec etiam supremae curiae Parisiensis iudicio confirmaretur. (b)

(a) Occasionem stabiliendae huius doctrinae praebuerunt theses quaedam Iesuitarum anti-Ianseniauae d. 12. Dec. a. 1661. ad disputandum propositae, potissimnm istae: *Christum ita caput agnoscimus, ut regimen, dum in coelos abiit, primum Petro, deinde successoribus commiserit, et eandem, quam ipse habebat, infallibilitatem concesserit*, item: *Datur ergo in Ecclesia Romana controuersiarum fidei iudex infallibilis, etiam extra concilium generale, tum in quaestionibus iuris, tum facti. Vnde, post Innocentii X, et Alexandri VII constitutiones, fide diuina credi potest, librum, Augustinus Iansenii, esse haereticum.* Cum enim propterea curia suprema Parisiensis ordinis Theologici sententiam de Pontificis auctoritate requireret, ista die 30. Maii a. 1663. his maxime uerbis declarata est: *I. Facultatis doctrinam non esse, quod summus Pontifex aliquam in temporalia regis Christianissimi autoritatem habeat. II. Doctrinam Facultatis esse, quod rex Christianissimus nullum omnino agnoscat, nec habeat, in temporalibus superiorem, praeter Deum. ---- V. Facultatis doctrinam non esse, quod Pontifex sit supra concilium Oecumenicum. VI. Facultatis dogma non esse, quod summus Pontifex, nullo accedente Ecclesiae consensu, sit infallibilis.* Haec Sorbonae declaratio, iussu curiae, actis statim inserta, et exempla eius ad omnes dioeceses et omnia collegia missa sunt, ut praelegeretur, publicaretur, et in acta referretur.

(b) Cum a. 1664. Chisius Cardinalis, post notissimam illam deprecationem, apud Ludouicum XIV, nomine Alexandri VII Pontificis factam, peteret, ut propositiones illae Sorbonicae abolerentur, rex literas Pontificis Senatui ordinum regni exa-

minandas dedit. Hic autem singulari responso, quod extat in Collectione uariorum scriptorum in Censuras Facultatis Theol. Parisiensis de Hierarchia Ecclesiae et Theologia Morali, demonstrauit: *regem, sine laesione iurium et coronae, suaeque auctoritatis, non posse assentiri postulato Pontificis: et cum sententiae Facultatis Theologicae, in censuris expressae, eaedem sint, quae Patrum et conciliorum, tantum abesse, ut condemnari illae debeant, ut potius Facultas debeat ualide excitari ad perseuerandum in illis.* Leg. Heidegg. Hist. Pap. §. CCLXXVI.

XII.

sub Innocentio XI

Hoc Senatusconsulto fundamentum iactum est insignium illarum quatuor propositionum, quae tempore *Innocentii XI*, a. 1682. in congregatione Cleri Gallicani constitutae, curiae supremae decreto approbatae, et ipsius regis edicto sancitae, (a) Pontifici potestatem *in temporalia* regum, pariter ac *infallibilitatem* planissime derogarunt, (b) et Innocentium XI, iam ante nuncio *de Iure Regaliae*, regi, eiusdem congregationis sententia, adiudicato, et per uniuersum regnum Francicum extenso, perculsum, summo dolore affecerunt. (c)

(a) Famosae illae IV propositiones singulari libro, a. 1707. ed. (*Traité de la Puissance Ecclesiastique et temporelle*) cuius summam exhibet Dupin in Nouae Bibl. Autorum Eccles. T. XIX, p. 404 sqq. explicatae probataeque, et inter ipsos Iesuitas a Maimburgio in libro de l' Etablissement et des prerogatiues de l' Eglise de Rome et de ses Euéques, Parisiis 1685. edito, defensae, huc redeunt: 1. *Quod papa, imo Ecclesia ipsa, in regum*

regum temporalia, nec directe, nec indirecte, poteſtatem ullam habeat: quodque rex deponi, uel ſubditi eius a iuramento fidelitatis, quamcunque demum ob cauſam, abſolui nequeant. II. quod concilium generale ſit ſupra papam, idque ui dotcrinae, quam Conſtantienſe concilium, ſeſſ. IV et V, confirmauit, III. Quod exercitium poteſtatis pontificiae limitandum ſit iuxta canones, quodque papa nihil facere poſſit in praeiudicium aut conſuetudinum, aut libertatum Eccleſiae Gallicanae. IV. Quod in rebus quidem fidei papa praecipuam habeat autoritatem; nihilominus eius deciſiones, ſine conſenſu Eccleſiae, certae et infallibites non ſint.

(b) Ius *regaliae*, quo regi uacantium Eccleſiarum Cathedralium reditus percipiendi, et beneficia Eccleſiaſtica conferendi poteſtas aſſeritur, iam diu quidem in Gallia receptum, et tempore Gregorii X. a. 1294, ipſius Concilii Lugdunenſis decreto confirmatum fuerat, ut praeter ceteros Pet. de Marca L. VIII de Conc. Sac. et Imp. c. 19, 22 et 24. et Larroquanus ſingulari L. de la Regale Roterod. 1685 ed. demonſtrant. Nonnullae tamen Eccleſiae in Gallia erant exemptae, quas, ex ueteri computorum *regeſto*, enumerat Paſquierius L. III Diſquiſit. Francic. c. 37. In his potiſſimum Apamienſis ius regium, licet iam a. 1606 curiae Pariſienſis decreto, et a. 1675 ipſius Ludouici XIV edicto, per uniuerſum regnum extenſum, impugnauit, adeo, ut a. 1680, poſt epiſcopi obitum, etiam uicarius Capituli cauſam pontificiam tuendam ſuſciperet. Quorſum ſpectat liber de a Regale, e. t. editus, et poſtea ſemel iterumque recuſus. Et haec praecipua fuit occaſio concilii illius nationalis, a. 1682 conuocati, in quo ius regaliae in omnes totius regni Eccleſias regi plene adiudicatum eſt, ne iis quidem prouinciis excluſis, quae regno, Ludouici XIV auſpicio, acceſſerunt.

(c) Pontifex, lectis cleri Gallicani definitionibus, quas ipſi epiſcopi ad illum miſerunt, acerbe fleuiſſe dicitur. Literas certe, quibus d. ii. Apr. a. 1682 reſpondit, a fletu exorſus, *cogi ſe*, ſcribit, *multis cum lacrymis, uſurpare propheticum illud: filii matris meae pugnarunt aduerſus me.* uide has in Heideggeri Hiſt. Pap. §. CCCXLIII.

XIII. Sed

XIII.

sub Clemente XI in Prussia

Sed ad noſtrum denique ſeculum propendum eſt, a cuius initio, usque ad hunc diem, Io. Franciſcus Albanus, Vrbinas, ſub nomine Clementis XI, Pontificatum tenet. Primum hic affectati in Principes dominatus ſpecimen dedit literis, ad Ludouicum XIV, Galliae regem, ſcriptis, quibus Friderico, primo regi Pruſſiae recens inaugurato, ſummam hanc dignitatem derogatam uoluit: (a) ſed ſine orbis Chriſtiani ſuffragio. Nam praeter Imp. Auguſtum, ceteroſque reges, principes, et respublicas, ipſe Ludouicus XIV Fridericum pro legitimo rege agnouit. (b)

in Imperio Germ.

Aliquot poſt annis Pontifex ipſi Imp. Ioſepho, ius ſuum in Italia tuenti, diras et bellum denunciauit. (c) Sed Imperator, minis hisce nihil territus, iniquitatem Pontificis publice redarguit, (d) arma armis oppoſuit, (e) et ſubito illum, ut incepto deſiſteret, et aequas pacis condiciones acciperet, adegit. (f) Cum praeterea nuncii Apoſtolici cognitionem cauſarum ciuilium, contra leges Imperii, ad ſe et curiam Rom. trahere non ceſſarent, inuaſio illa iurium non modo communi ordinum decreto cohibita, (g) ſed et per capitulationem Caroli VI Auguſti, denuo interdicta eſt. (h)

(a) Extat *Breue* hoc, ut uocatur, Clementis XI, *datum Romae*

mae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 16. April. 1701. Pontificatus anno primo, in Lunigii Reichs-Archiu, P. Spec. Sect. III. p. 281, in quo *factum huiusmodi, Apostolicarum sanctionum dispositioni contrarium, et sanctae sedis authoritati iniuriosum esse*, dicit, et Ludouicum XIV hortatur, *ne regios honores illi tribuat, qui illorum numero se iunxit, quos improbat sermo ille diuinus: Ipsi regnauerunt, et non ex me, principes extiterunt, et non cognoui.* Iniquitas huius incepti ex instituto demonstratur *im Päbstlichen Unfug wider die KronPreussen* e. a. ed.

(b) Publice hoc factum est a. 1713. per pacis Vltraiect. inter Galliae et Prussiae Reges initae, Art. XI.

(c) Clemens XI literas d. 16 Iunii, a. 1708 ad Imp. datas his uerbis concludit: *Sed si perstabis in tanta intemperantia consilii, abiiciemus patris clementiam, et in te, tanquam rebellem filium, excommunicatione, et armis etiam, si opus fuerit, animaduertemus, neque vero timebimus, quicquid etiam eueniet. Christi Domini eiusque Ecclesiae causam defendimus. Christus ipse uires dabit, ut uincamus, et, si te non pudet, Ecclesiam et Deum ipsum oppugnare, et ab auita pietate Austriaca, praecipue patris tui Leopoldi, sanctae sedi addictissimi, declinare, idem ipse Deus, qui regna confert, regna disperdet.* Defensionem Imp. Augusti contra hanc, et alias Clementis XI bullas scripsit celeberrimus Cancellarius Tubingensis D. Io. Wolffgang Iaeger, P. II. Historiae seculi XVIII ad a. 1708 L. VIII. c. 1. insertam.

(d) Iosephi edictum, contra Bullas Clementis XI, Vindobonae, die 26 Iunii a. 1708 datum, extat apud laudat. Iaegerum l. d. In eo Imperator, grauiter conquestus, *ministros curiae Romanae, siue alieni instinctu genii, siue proprii qualiscunque emolumenti fiducia, eo abreptos esse, ut ausi fuerint, ad stuporem uniuersi orbis, et reipubl. Christianae scandalum, secularibus in rebus spiritualia arma intentare*; sententiam et uoluntatem suam his uerbis declarat: *ex plenitudine potestatis Caesareae, hisce publice contradicimus, abolemus, et protestamur solennissime, quo fieri potest pacto et modo annullantes, quicquid in memorato scripto, quoad formam, aut materiam, in praeiudicium nostrorum et S. R. I. iurium,*

uel

uel etiam contra noſtros miniſtros, commiſſarios, milites uel alios quoscunque, exprimitur. Inhibemus quoque omnibus ac ſingulis Eccleſiaſticis et ſecularibus noſtris et Imperii Vaſallis, miniſtris et ſubditis --- ſub grauiſſima noſtra et imperii indignatione, omnium bonorum confiſcatione, corporali poena, ne quam rationem eius, quod in adducto ſcripto continetur, in ulla re habeant.

(e) Bellum hoc, a Pontifice infeliciter geſtum, deſcribit Rinkius in Vita Ioſephi L. II, ad a. 1708: et p. 413, portae Comachii, a Caeſareis occupatae, et ad hunc usque diem retentae, hanc inſcriptionem impoſitam eſſe, memorat: IMPERATORI IOSEPHO ANTIQVA ITALIAE IVRA REPETENTI.

(f) Pax illa Romae d. 15. Ian. A. 1709. his maxime condicionibus inita eſt, ut omnes milites, quos Pontifex conduxerat, exceptis 5000. praeſidiariorum, dimitterentur: poſt illos dimiſſos, Imperatoris copiae ex terris Pontificiis deducerentur: militi Caeſareo tranſitus per terras Pontificias non denegaretur. Reliquas condiciones uide apud laudatum Rinkium p. 414. Paulo poſt etiam Carolo regis Hiſpaniae titulum tribuere neceſſe habuit, eoque Philippi, quem antea pro rege Hiſpaniae agnouerat, gratiam effudit, adeo, ut hic omne obſequium Pontifici praeſtandum in Hiſpania interdiceret: quae controuerſia necdum ſatis compoſita eſt.

(g) Cum a. 1706. Iulius, Clementis XI Papae ad tractum Rheni aliasque inferioris Germaniae partes; cum poteſtate legati de, latere Nuncius, S. R. I. Principem Abbatiſſam Thorenſem, in cauſa feudali, ad tribunal ſuum, ſub grauis poenae et cenſurae Eccleſiaſticae comminatione, citare auſus eſſet: a. 1706. d. 7. Iunii omnium ordinum conſenſu, in comitiis Ratisbonenſibus, leges imperii tuendas, et cauſas ciuiles omni curiae Romanae ac Nunciorum eius iurisdictione exemptas, ac porro eximendas eſſe, decretum eſt. uid. Fabri *Staats-Cantzley* T. IX, c. 2. p. 79. Verba *concluſi trium Collegiorum* haec ſunt: *daß die gegen die Reich-Satzungen emanirte mandata poenalia, comminationes et euocationes des Päbſtlichen Nuncii zu Cöln --- alß unzuläſſig, zu caſſiren, dieſes auch Käyſerl. Maj.*

Maj. zu einem allerunterthänigsten gutachten zu erstatten, und in gezimendem Respect, wie hiemit beschichet, zu ersuchen wären, Sie allergnädigst geruhen möchten, zu erhaltung der Reichs gesetzen in der Ständen Iurisdictionen, an den Päbstlichen Stuhl zu Rom gelangen zulassen, damit denen Nunciis Apostolicis zu Cöln und anderwerts dergleichen ohn zulässiges Verfahren im Römischen-Reich und unter dessen glieder, Räth und Vnterthanen von dannen mit Ernst verbothen und fürters nicht mehr gestattet werde; dem obgedachten Nuncio zu Cöln auch zugleich durch dero Ministros in Cöln allergnädigst bedeuten zu lassen, die contra constitutiones Imperii *ausgelassene Manda poenalia und comminationes zu cassiren, und Ihre Fürstlichen Gnaden zu Thoren in Ihrer fundirten Reichs Iurisdiction* contra leges Imperii *nicht ferner zu grauiren noch zu turbiren. Regenspurg d. 7. Iulii 1706.*

(h) Capitul. Imp. Caroli VI Art. XIV. *gleichergestalt wollen wir, wen es sich etwa begäbe, daß die Causae ciuiles von ihrem ordentlichen Gericht im H. Reich ab, und ausser dasselbe ad Nuncios Apostolicos, und wohl gar ad curiam Romanam gezogen würden, solches abschaffen, vernichten und ernstlich verbiethen,* reliqua.

XIV.

A. 1711 uetus controuersia de monarchia Siciliae (a) ex leui occasione renouata, (b) et sub Victore Amadeo, Duce Sabaudiae, cui pax Vltraiectina regnum illud nuper attribuit, acriter continuata est, non sine magno Clementis XI incommodo, et auctoritatis Pontificiae detrimento. Nam edicta eius contra tribunal, quod dicitur, monarchiae Siculae, non in hoc tantum regno spreta, sed et in Gallia, uelut communi regum iuri aduersa, sententia curiae *in Sicilia*

Parisiensis damnata sunt. (c) Si qui uero ordinis sacri homines illis obtemperarunt, amissis aut relictis beneficiis Ecclesiasticis in exilium abierunt. Multos horum Pontifex hospitio exceptos, cum otiosorum hominum gregem alere amplius nollet, in Siciliam redire, et legibus regni morem gerere permisit. (d)

(a) Nomine *monarchiae*, siue *tribunalis monarchiae Siciliae* appellari, constat, supremam iurisdictionem Ecclesiasticam, quam rex Siciliae, uelut perpetuus Pontificis Rom. uicarius, titulo *legati nati a latere*, in regno suo sibi uindicat. Non ignota est controuersia, quae de hoc iure, Siciliae regibus, potissimum Hispanicis, cum curia Romana intercessit, in qua Baronius causam regiam, libro *Monarchiae*, anno 1557, assertam, oppugnaturus, tantam Philippi III indignationem incurrit, ut spe Pontificatus, post Clementis VIII mortem obtinendi, excideret, et quae de Monarchia Siciliae pro Pontifice scripserat, igni traderentur, ut præter historiam de conclaui Leonis XI, ostendit Thuanus sub initium libri CXXXIV p. 1078. Totius controuersiae historiam descripserunt P. Simon in Historia de origine redituum Eccles. (*Histoire del origine des reuenues Ecclesiastiques*) p. 155 et Dupinius in libro, quem superiori anno 1716 Amstelodami pro iure regis Siciliae edidit, (*Defense de la Monarchie de Sicile contre les entreprises de la cour de Rome*) ubi inprimis *Bullam* Vrbani II, quo Rogerio, comiti Siciliae, munus uicarium, res Ecclesiasticas in Sicilia curandi, defertur, contra Baronii obiectiones uindicat, c. II. seqq. eamque *irreuocabilem* esse, demonstrat c. VIII. quin et cetera Cardinalis argumenta ex instituto confutat c. XV.

(b) Occasionem tantis motibus praebuerunt legumina, quae Liparensis episcopus tabernario cuidam diuendenda commiserat. Cum enim uectigal ab hoc exigeretur, Episcopus ex-

exactores, ignorantiam suam frustra obtendentes, sacris interdixit. Isti, ad tribunal *monarchiae* confugientes, impetrant absolutionem, quam uocant, *cum reincidentia*, qua non modo censura relaxatur, sed et iudicio subiicitur: Pontifex contra pro episcopo pronunciat, et absolutionem eiusmodi sibi soli uindicat, literis in Sicilia publicatis per episcopos quosdam sibi obnoxios. Hoc uero rex iuris sui uiolationem interpretatus, bullam papalem rescindit, et episcopos sibi refragantes regno exterminat. Ab his initiis profecta controuersia inter sedem Romanam et tribunal monarchiae Siculae, aliisque rebus aucta, nec dum componi potuit. De origine et progressu eius leg. Relation ueritable des procedez des deux cours de Rome et de Sicile, sur les contestations au suiet de Tribunal de la Monarchie; quae ex Italico sermone Gallice uersa, cum Dupinii defensione in lucem prodiit, et cum illa comparetur dissertatio de Ecclesiastici interdicti sententia, nec ullum ob metum uiolanda, nec subiectorum iudicio expendenda, ex occasione Sicularum censurarum Romae 1715. superiorum permissu ed. cuius autor est ipse Tedeschius, Antistes Liparensis.

(c) Factum hoc est inprimis per interdictum Parisiis d. 15. Ian. a. 1716. publicatum: *Arrest de la Cour de Parlement, qui ordonne la suppression de feuilles imprimées a Rome sous le titre de Illustrissimi et reuerendissimi Domini Auditoris generalis reuerendae camerae Apostolicae literae Monitoriae contra compulsores et uiolatores immunitatis, iurisdictionis et libertatis Ecclesiasticae, in ciuitatibus Ponormi et Messaniae etc. qui renouuelle les defenses generales de receuoir ou publier aucunes Bulles, Brefs, ou decrets de cour de Rome, sans lettres patentes registrées en la cour, qui en ordonnent la publication.* quod Dupinius defensioni Monarchiae Sic. subiecit. In eo iusta censura notatur arrogantia, qua Pontifex decreta sua, aeque ac uerbum Dei, ubique, etiam sine regum auctoritate, ualere, et executioni mandari postulat, (*les decisions des Papes comparées a la parole de dieu meſme, l'etendüe ſans bornes données aux interdits et pluſieurs autres maximes, qui ne ſont eſta-*

 blies,

blies, que sur la preuention de quelques Autheurs ultramontains.) Ipsa uerba epistolae Papalis, quibus doctrina illa continetur, haec sunt: *cum satis omnibus Christi fidelibus perspectum exploratumque sit, sanctiones, decreta ac constitutiones, quae ab oraculo supremi et uisibilis Ecclesiae capitis, Christique in terris uicarii emanant, utpote diuina potestate fulcita, per se ipsa, ubique locorum, independenter a quacunque humana auctoritate, paratam executionem habere.* Qua de causa non solum literae istae, ut in omnes reges Christianos iniuriae, damnantur, totaque Gallia proscribuntur: sed et omnibus regno Galliae subiectis seueriſſime interdicitur, ne ullum curiae Romanae decretum, sine mandato regio admittant, uel exequantur.

(d) Si fides est iis, quae nuper admodum ex Italia nunciabantur, Pontifex aliquot millia Clericorum et Monachorum in Siciliam redire permisit, quia aerarium non sufficiebat omnibus alendis, qui, pontificiae auctoritatis causa, Romae exulabant: postquam praesertim Iacobo, regi Angliae umbratico, in fidem ac patrocinium recepto, magni reditus assignati sunt.

XV.

in Anglia In Anglia Clemens XI maxima et optatissima, quam unquam habuit, spe (a) ueteris auctoritatis censusque recuperandi excidit: postquam Iacobus, ritibus pontificiis a puero imbutus, qui se pro Iacabi II, regis quondam Magnae Britanniae, filio et successore gerit, non tantum a. 1714. Georgium, legitimum regem, sibi praelatum uidit, sed et a. 1715. e Scotia cum rebellium clade reiectus, tandemque ipsa Gallia ex-

exterminatus, (b) in Italiam confugit, Pontificis liberalitate alendus. (c)

(a) Spes illa paulo ante mortem Annae, reginae Britannicae, a Caesaris societate, contra datam fidem, disiunctae, et Ludouico XIV, communi quondam hosti, conciliatae, maturitati proxima esse uidebatur. Id enim haud obscure a nonnullis agebatur, ut Georgio excluso, Iacobus Annae succederet. Sunt, qui pro certo exploratoque confirmant, ipsum Iacobum, sumpta equitis peregrinantis persona, in Angliam uenisse, et cum regina frequentem fuisse. Quod uero Pontifex illorum consiliorum non expers fuerit, uel Franciscí Blanchini, cubicularii eius, in Angliam aduentus prodidit. Cum enim hic A. 1713. in Galliam missus, uelut animi causa, inde in Angliam traiecisset, ut uiros eruditos conueniret, et inprimis cum Is. Newtono de rebus mathematicis colloqueretur, singulis fere diebus, quibus Londini commoratus est, uespertino plerumque tempore, reginam conueniendi potestatem habuit: quod ipse Is. Newton, ut explorate sibi cognitum, mihi affirmauit. Amicos certe et administros reginae, rigidiori in Anglia factioni addictos, et foederis cum Imperatore rupti auctores, a Papatu non alienos fuisse, uel euentus docuit, dum nonnulli, et imprimis quidem Iac. Butlerus, nomine *Ducis Ormondiae* quondam notissimus, non postremus illius scenae actor, aperte postea ad coetum Romanum transierunt.

(b) Factum hoc est per condiciones foederis, exeunte superiori anno, inter M. Britanniae regem, et regni Gallici administratorem initi.

(c) Nuper admodum ex Italia nunciatum est, stipendium a Pontifice singulis mensibus Iacobo soluendum, usque ad XVM nummorum Imperialium auctum esse.

XVI.

Non exiguam denique huic pontifici curam *in Gallia* et sollicitudinem, neque minus auctoritati eius

detrimentum, praesertim in Gallia, attulit famosissima illa, et omnium hodie sermonibus trita constitutio, *Vnigenitus*, aduersus Paschasii Quesnellii (a) Nouum testamentum (b) et *CI propositiones* inde excerptas, Iesuitarum instinctu (c) edita. (d) Hanc enim, dogmata quaedam uerissima, et ipsis Romano-Catholicis approbata, (e) condemnantem, Ludouicus quidem XIV, a Tellierio inductus, subditis suis uel inuitis obtruserat: sed cum eo defuncto, et Iesuitis ex aula remotis, (f) liberior profitendae ueritatis potestas esset, tantum non communi omnes consensu reiecerunt, et uelut *tumulum infallibilitatis pontificiae*, (g) explosérunt. Theologi inprimis Parisienses, Lud. Antonii de Noailles, Archiepiscopi, auctoritatem secuti, illam sibi nunquam probatam fuisse, publice declararunt, (h) Io. Harduini, Iesuitae, nouam editionem conciliorum, in qua callide illa inter publicas Ecclesiae leges commendatur, censura notarunt, (i) imo a pontifice ad concilium generale prouocarunt, (k) et cum in nouo *corpore doctrinae* (l) tum *VI propositionibus*, (m) hoc anno in lucem datis, doctrinam suam de suprema principum potestate, contra curiae Romanae assentatores, stabiliuerunt. Vtrum ceteroquin lex regia (n) superiori mense

se lata, quae omnes de saepe dicta constitutione disputationes interdicit, dissidiis illis componendis, et uulneri, quod per ea Pontificiae auctoritati illatum est, sanando suffectura sit, dies docebit.

(a) P. Quesnellius, Congregationis Presbyterorum Oratorii in Gallia quondam socius et Presbyter, quem, Amstelodami, sub communi uestitu, et nomine *Monsr. de Puis*, latitantem, m. Iun. 1715, aditu per Rev. Clermontium conciliato, conueni, uir est exiguae staturae, pro grandi aetate, octogenaria iam tum maiori, adhuc satis uegetus ac perhumanus. Ad Batauos se recepit, postquam anno 1703. e carcere Bruxellensi, instar Pauli Apostoli, ut ipse aiebat, muro demissus, euasit. Interea, rege Ludouico XIV defuncto, illi secure in Galliam reuertendi potestas fuit.

(b) *Le Nouueau Testament en Francois auec des reflexions morales sur chaque uerset*, a. 1671. primum ed. ac saepius deinde recusum est.

(c) De Iesuitis, se supra omnes alias hominum religiosorum sodalitates efferentibus, et dominatum, ipsius Pontificii aemulum, molientibus, a. 1715, cum haec controuersia maxime ferueret, non male iudicabat P. Montfaucon, illos Pontificis Romani auctoritate uti, prout commodum uideatur. In causa Chinensi et Ianseniistica eos Innocentio XI et XII aperte contradixisse, et huius edictum quoddam, uelut a Pontifice, Ianseniistarum pecunia corrupto, impetratum, in publicis *thesibus* traduxisse, tantamque illi indignationem commouisse, ut de ordine Ignatiano plane abolendo cogitaret: nunc uero constitutionem anti-Quesnellianam, ipsorum artibus obtentam, imo compositam, pro diuina et sacrosancta uenditari, omnesque dissentientes, schismaticos, et haereticos iudicari. Scilicet omnibus hodie apertum est, Iesuitas illius constitutionis, et motuum inde ortorum auctores ac duces extitisse. Ipse Quesnellius de eo con-

conqueritur: *Ie n' ignorois pas, que les Ieſuites touts-puiſſans aupres du Pape, étoint mes parties, mes accuſateurs, et même mes iuges: et que n' auois-ie point à craindre de leurs artifices, auſſi bien que de leur credit?* in libro: Plainte et Proteſtation contre la condemnation des cent-une Propoſitions, 1715. (Amſtelodami) ed. p. 11, quem librum ipſe, ut praecipuam cauſae et innocentiae ſuae defenſionem, commendauit. Initium odii aduerſus Quesnellium a Ianſenismo profectum eſt, cuius nomine iam pridem, propter familiaritatem cum Arnaldo, illis ſuſpectus fuit. Curiae Romanae illum inuiſum reddiderant Diſſ. et notae in Leonis M. Opp. pro libertate Eccleſiae Gallicanae contra appellationes ſcriptae, ut ipſe profitetur l. d. p. 5. Acceſſit Ludouici Ant. de Noailles, ad archiepiſcopatum Pariſienſem, regis gratia, euecti, inuidia, qui Nouum Teſt. Quesnelli praeter ceteros probauerat, Expoſitionem uero fidei Catholicae de gratia et praedeſtinatione, aliosque Ieſuitarum libros et placita damnarat. Hinc iſte potiſſimum per latus Quesnelli petebatur, neque prius Tellierius, Ieſuitarum in Gallia princeps, regis, cui a confeſſionibus erat, gratia fretus, quieſcebat, quam conſtitutionem illam, aut potius ſubſcriptionem eius, a Pontifice, diu licet tergiuerſante, extorqueret.

(d) Poſt multas congregationes et deliberationes ſancti, ut uocatur, officii, Romae a. 1712 et 1713 habitas, prodiit illa tandem d. 8, Sept. a. 1713.

(e) Integrum N.T. Quesnellianum praeter Lud. Antonium de Noailles, epiſcopum Catalaunenſem, hodie Archiep. Pariſ. iamdiu approbarant, et, uelut utiliſſimum, commendarant Franc. de Harlai, Archiep. Pariſienſis, Henricus de Biſſi, epiſcopus Tullenſis, Iac. Ben. Boſſuetus, ep. Meldenſis, Io. Bapt. Gaſton de Noailles, Ludouici Ant. de Noailles in epiſcopatu Catalaunenſi ſucceſſor, et ſelecti quidam doctores Sorbonici, qui iuſſu Archiepiſcopi Pariſ. librum illum, data opera, examinarant: quid quod Pontifex ipſe, una cum rege et ſenatu ordinum

num regni Parisiensi, ut orthodoxum defenderat, ut refert Quesnel dans sa Plainte et Protest p. 4.

(f) Vix animam efflarat Ludouicus XIV, cum Archiepiscopus Parisiensis, aditu aulae huedum prohibitus, et in summas angustias redactus, ducis Aurelianensis permissu, in eam rediret, quem uenientem animaduertens Tellierius, ex eadem forte discessurus, ne illi obuiam fieret, gradum retulit, et per posticum se subduxit. Non multo post Confessionarius iste regius Ambianum relegatus, et amplissimum, quod perceperat, XIIM librarum stipendium ad MCCCC libras restrictum est. Neque minus sodales eius aula excluſi sunt, et cum aliquis eorum, iniussu Archiepiscopi, in sacello regio concionari ausus esset, Archiepiscopus uniuerso ordini concionibus et confessionibus, in dioecesi sua, paucis admodum exceptis, interdixit. Adduxerant Iesuitae Ludouicum XIV. ut testamento caueret, ne quis alius, quam sui ordinis sacerdos, futuro regi a sacris esset: sed hoc quoque rescidit Dux Aurelianensis, regni administrator, et munus illud ad Claudium Fleurium detulit, uirum factioni Loioliticae, et transalpinis de dominatu papali placitis minime addictum, ut uel ex eius disc. IV Hist. Eccl. T. XVI praemisso apparet. Vitam et elogium eius uide apud Dupinium Bibl. Nouu. des Aut. Eccles. T. XIX, p. 110.

(g) In concilio Theologorum Paris. a. 1715. huius Constitutionis causa habito, Abbas Leger, Doctor Sorbonicus, illam uocarat *tumulum infallibilitatis Pontificiae*, quod dictum magno omnium applausu exceptum est, adeo, ut tota urbe percrebresceret, in doctorum uirorum congressibus repeteretur, et optimi cuiusque suffragio comprobaretur.

(h) Exeunte anno 1715, Racheuetus, Syndicus collegii Sorbonici recens creatus, oratione auspicii causa habita, cum in ipsam Constitutionem Clementis XI, tum in regis Ludouici XIV edicta, quae, etiam post mortem istius reperta, multos, propter illam repudiatam, ad exilium uel carceres de-

ſtinabant, magna uerborum libertate, nec minori auditorum approbatione, dixit, et haec inprimis cum funeſtis Tiberii literis, ex Caprearum inſula miſſis, comparauit. Cumque nonnemo e doctoribus Sorbonicius, Papae addictior, nomine Omelau, ſi recte memini, orationem hanc uelut in regem et Pontificem iniurioſam, accuſaſſet, a reliquis magno conſenſu reclamatum eſt, et parum abfuit, quin iſte propterea collegio eiiceretur. Sub priore Syndico in acta relatum fuerat, conſtitutionem *unigenitus* ordini Theologorum fuiſſe probatam. Hoc, ut falſum, Sorbona reſcidit, et, illam iuſſu regio, non *ad diſputandum*, ſed *ad obtemperandum*, admiſſam eſſe, declarauit, idque ipſum nonniſi ex pauciſſimorum ſuffragiis accidiſſe, cum ex ducentis amplius doctoribus uix triginta conueniſſent, et ne hi quidem omnes interſe conſenſiſſent.

(i) In noua illa conciliorum editione, quae totius cleri Gallicani approbationem mentitur, id inprimis per Io. Harduinum, ſodalem ſuum, egerunt Ieſuitae, ut cum Conſtitutioni *Vnigenitus*, ſuis artibus obtentae, publicam auctoritatem conciliarent, tum Eccleſiae Gallicae dogmata, dominatui Papali aduerſa, uelut per cuniculos, ſubuerterent, atque adeo mutuam Pontifici Romano operam nauarent. Nam cum epiſtolas Pontificum Romanorum, prioribus Conciliorum editionibus inſertas, plane omiſerint, conſtitutio illa, cum ſummis elogiis, in tomo XII apparet. Ipſis praeterea actis conciliorum, Baſileenſis potiſſimum et Conſtantienſis, ea, quae e re ſua, uel curiae Romanae, non eſſe, iudicarunt, detraxerunt, et hinc inde placita ſua admiſcuerunt: quod inprimis in tabula tom. XI. p. 318 ſqq. inſerta uidere licet. Callido huic conſilio haud dubie reſpondiſſet euentus, ſi Ludouicus XIV, quem totum iam in poteſtate ſua habebant, diutius ſuperſtes fuiſſet. Sed cum eo defuncto demum concilia Harduini lucem aſpicerent, iuſſu Philippi, Ducis Aurelianenſis, acrem Theologorum Pariſienſium cenſuram ſubierunt: qui, cum Dupinio, Legero, et aliis IV doctoribus Sorboni-

bonicis librum illum examinandum dediſſent, in conſilio ſuo (*Memoire ſur l' Edition des conciles inprimée au Louure en 1715. par els ſoins du P. Harduin*) haec potiſſimum notarunt: I. Concilia illa, ex typographia regia, cum iactata uniuerſi Cleri Gallicani approbatione, prodiiſſe, quae tamen, nec impetrata unquam fuerit, neque impetrari poſſit. II. Conſtitutionem *Vnigenitus* inuidioſe in iis laudari, et epiſcopos, qui ſubſcribere illi recuſarunt, in dedicatione ad regem Ludouicum XIV, ut a *fide catholica alienos*, et regis auctoritate *ad unitatem fidei reuocandos*, traduci. III. nouam hanc editionem ſuſceptam eſſe ad euertenda placita regni, Cleri Gallicani, et ordinis Theologici Pariſienſis (*pour ruiner les maximes du royaume, et du clergé de France, et de la faculté de Theologie de Paris*) id quod probant ex aſſerta Pontificis Rom. *infallibilitate*, poteſtate *ſupra concilia*, imo in ipſos reges. Prouocant inprimis ad T. XI, p. 1576. ubi Pontifici *data eſſe* dicitur *poteſtas in omnes principes Chriſtianos, et omnes populos eorum, ut qui ſit uicarius D. N. Ieſu Chriſti ſuper cunctos populos*. IV. inter ea, quae hinc inde mutilata ſunt, id etiam notant, quod conciliis Baſileenſi et Conſtantienſi titulus *concilii generalis* detrahatur, quae ſemper in Gallia pro talibus agnita fuerint. Et ex horum ſententia, publica illorum conciliorum uenditio a. 1715. interdicta eſt. Quantumcunque uero Harduinus, ſingulari ſcheda in uulgus edita, de illis praedicet, ii tamen, qui diligentiorem huius et Labbeanae editionis comparationem inſtituerunt, praeter ſupplementa Baluzii, ſingulari uolumine ed. pauciſſima illi acceſſiſſe, ueteres autem mendas bona fide retentas eſſe, deprehenderunt: ut adeo, ſi quis paucas illas acceſſiones ſingulari quodam tomo comprehenderet, XII tomos Harduini illis, qui XVII Labbeanos poſſident, plane inutiles redderet. Ita inprimis Dupinium iudicaſſe, memini.

(k) Appellatio haec facta eſt d. 5. Martii huius anni 1715, quo IV epiſcopi, nominatim Miropincenſis, Sanitienſis, Montispeſſulanus, et Bononienſis, in collegium Sorbonicum uenerunt, interceſſionem ſuam aduerſus conſtitutionem *Vnige-*

nigenitus, et. prouocationem ad futurum concilium generale praelegerunt, Racheuetus uero, Syndicus, cum CVI aliis doctoribus illi continuo subscripserunt. Iisdem postea ordo Theologorum Rhemensium, aliique accesserunt.

(l) Prior pars noui huius systematis Theologici Parisiensis iam absoluta, et proxime superiori die 3 Septembris regni administratori ceterisque principibus regio sanguine ortis, a doctoribus quibusdam Sorbonicis, exhibita est.

(m) Sex illa doctrinae capita, proxima die 2. Aug. in collegio Sorbonico, praeside Quinotio, in locum Racheueti, syndici, nuper defuncti, suffecto, approbata, per XII doctores duci regenti ceterisque principibus oblata, et cum similibus aliis censuris, atque sententiis, quas inde ab aliquot seculis idem Theologorum ordo contra iuris regii aduersarios tulit, simul in lucem emissa, ita se habeat: I. *Potestas regia immediate a Deo pendet. II. Reges Galliae neminem se superiorem agnoscunt, neque in temporalibus aliquem se superiorem habent, cui, praeter Deum, rationem reddere teneantur. III. Papa uel Ecclesia nec directe nec indirecte potestatem habent in temporalia regum, neque ullo iure subditos regios a praestito iuramento fidelitatis absoluere possunt. IV. Subditi regibus aut magistratui suo omnem reuerentiam et obedientiam debent, nec ullo praetextu iis factiones alere, clandestinas insidias struere, turbas et seditiones excitare, aut cum exteris societatem inire licet, nisi poenas incurrere uelint, aduersus eos constitutas, qui rebellionis uel criminis laesae maiestatis se reos faciunt: multo minus iis licet, quod horrendum dictu et cogitatu est, contra uitam et securitatem sacratissimae huius personae conspirare. V. Subditi nulla de causa excommunicari possunt, si spiritualis haec poena cum suppressione fidelitatis, quam supremo principi debent, coniunta sit. VI. Reges, principes, et imperantes, ob exercitium iurium et praerogatiuarum suarum, excommunicari non possunt.*

(n) Lex illa die 7 Octobris h. a. data, et die 8 in acta curiae Parisiensis relata est.

XVII. Et

XVII.

Et ista quidem non ad exhauriendum, sed ad delineandum hoc argumentum sufficiant. Neminem certe, qui res ante, et post sacrorum emendationem gestas paululum inter se comparare uoluerit, inficias iturum, credimus, quod iniquus Pontificum Romanorum dominatus notabiliter per illam repressus, et deinceps magis magisque debilitatus sit. Nemo cis Alpes hodie amplius supremam illorum in Imperatores, reges et principes Christianos potestatem agnoscit, nemo illorum iussu arma capit, aut deposita resumit, nemo denarium Petri soluit, nemo crumenam indulgentiae nundinatione emungendam praebet, et pauciſſimi ampullas papales, ut oracula fallere nescia, adorant. Ipsum fulmen Tarpeium, tam formidolosum quondam regibus telum, priori quidem post *reformationem* seculo nonnullos petiit: sed cum, non secus, ac funda sine lapide, inanem strepitum dediſſet, Iouique Capitolino, pro timore, contemptum peperiſſet; seculo posteriori, ludibrii metu, plane obmutuit. Quae causa sit huius tam repentinae et plane insignis conuersionis, nemo, nisi qui in meridiana luce oculos sponte claudit, non intelligit. Scilicet tyrannis, quae nixa hominum *Conclusio*

num errore, ſuperſtitione et ignorantia, ad ſummum faſtigium aſcenderat, poſt caliginem illam diſſipatam, lucemque diuinae ſapientiae reſtitutam, atque adeo myſterium iniquitatis detectum, ſua temeritate cecidit. Ipſi certe cordatiores Pontificii, Proteſtantes ſibi in multis facem praetuliſſe, in aliis diligentius inquirendi, et amplius cogitandi occaſionem praebuiſſe, imo communes quosdam errores aperuiſſe, fatentur: quod, in praeſenti argumento, praecipue pſeudo-decretalium epiſtolarum exemplo, clariſſimum eſt. (*) Faxit Deus, ut ipſi reges et principes ſummum beneficium, Lutheri opera ſibi praeſtitum, agnoſcant, et recta uia ſecum reputent, quae condicio ipſos maneat, ſi denuo, quod ſummum Numen auertat, de ueritatis luce error et ſuperſtitio triumpharent.

(*) Epiſtolas pſeudo-decretales praecipuum dominatus Pontificii, ab Hildebrandi tempore, usque ad Lutheri reformationem continuati, fundamentum fuiſſe, inter ipſos Pontificios nuper egregie demonſtrauit, quem paulo ante laudaui, Claudius Fleurius, Diſc. IV in H. E. T. XVI. Illarum uero nouitatem et fraudem primi demonſtrarunt Centuriatores Magdeburg. et Turriani aduerſus hos uindicias caſtigauit Blondellus, quorum argumentis, omnium pontificiorum iudicio, res adeo confecta eſt, ut doctiſſimi quique ad Blondellum, uelut praecipuum antiqui erroris, clariſſime detecti et confutati auctorem, prouocare non dubitent.

F I N I S.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn841312109/phys_0102
DFG

CONSPECTVS DISSERTATIONIS

SECTIO PRIOR

De Dominatu Papali in Principes ante Reformationem.

§. I *Pontificiorum de dominatu Papali doctrina.*
II *Facta, illi congrua, in Imperatores, nominatim in Henricum IV, et V.*
III *in Fridericum I.*
IV *in Henricum VI, Philippum, et Ottonem IV.*
V *In Fridericum II.*
VI *in Imperatores post interregnum*
VII *in Ludouicum IV Bauarum.*
VIII *in Carolum IV*
IX *in Fridericum III.*
X *sub Maximiliano I.*
XI *Dominatus Papalis in alios reges, nominatim Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Seruiae.*
XII *in reges Daniae et Sueciae.*
XIII *in reges Angliae.*
XIV *in reges Galliae*
XV *in reges Hispaniae et Lusitaniae.*

SECTIO POSTERIOR

De Dominatus Papalis post Reformationem diminutione.

§ I *et* II. *sub Leone X.*
III *sub Clemente VII.*
IV *sub Paulo III.*
V *sub Paulo IV et Pio IV*
VI *sub Pio V.*
VII *sub Sixto V. et Gregorio XIV.*
VIII *sub Sixto V et consequentibus Pontif.*
IX *sub Paulo V.*
X *sub Innocentio X.*
XI *sub Alexandro VII.*
XII *sub Innocentio XI.*
XIII *sub Clemente XI. in Prussia, et Imperio Germanico. XIV in Sicilia. XV in Anglia. XVI in Gallia.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn841312109/phys_0103
DFG

CLARISSIMO DOCTISSIMOQVE VIRO

M. CHRIST. FRIDERICO STEINIO

S. P. D.

PRAESES

CVm ante aliquot hebdomadas Tubinga huc ueniens, a Iaegero et utroque Pfaffio, celeberrimis cariſſimisque nominibus, partim ſalutem, partim literas afferres, non hac tantum de cauſa, ſed propter illa potiſſimum, quibus te ipſe commendas, excitati animi, elegantisque ingenii ornamenta, uel ex primo congreſſu cognita, te adamare coepi. Poſtea uero, quam familiarius innotuiſti, dignum te Doctoribus, eruditionis ac meritorum fama clariſſimis, quibus in patria Academia per ipſum quinquennium uſus es, facile probaſti. Nunc nouum cum doctrinae, tum animi tui ſpecimen edis, quod memoriae religionis, ducentis abhinc annis, hoc ipſo in loco, emendari coeptae, ſacrum eſſe cupis. In quo tibi, ita uolenti, qualemcunque operam meam et laboris ſocietatem denegare nec potui, neque debui. Talia uidelicet ſunt ſolennia noſtra *Iubilaei Lutherani*, ab omni ſuperſtitione Papali alieniſſima, in quibus patrum ciuiumque ſtudia certant, adeo, ut per has duas hebdomadas, poſt ſacra rite peracta, nullus dies, ſine publicis orationibus, aut diſputationibus, aut honorum Academicorum diſtributione, praeterierit. In illorum ergo partem tu quoque uenis, Vir clariſſime, non uanitate, aut arrogantia, ſed quodam pietatis ſenſu inductus, quo iucundum tibi eſt, ſolenni hoc tempore, ex Lutheri cathedra ueritatem profiteri, et uel aliquod beneficium diuinum, illius opera orbi Chriſtiano praeſtitum, celebrare. Hanc mentem Deus tibi perpetuam, et, inter omnes temporum aduerſitates, conſtantem ſeruet, bona autem, quae in te contulit, amplificet, atque fortunet, ut maxima inde in rem ſacram, et patriam tuam, literis pariter ac religione florentiſſimam, emolumenta redundent.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn841312109/phys_0104
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn841312109/phys_0107
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn841312109/phys_0108
DFG

THES. IX.

hine Theologorum digni sunt, qui subor-
tibus, quibus non solum pax & tranqvilli-
statur, sed etiam præcipua doctrinæ salvificæ
luntur, cum Autoribus istorum motuum vel
amicitiam, aut ipsorum deliria, si non ex-
n rejiciunt.

THES. X.

ber DEI gratiam nullus sit defectus librorum
odoxis Theologis orthodoxe conscriptorum,
purorum Mysticorum scripta, aut illa, qvæ
m orthodoxe qvidem sentientibus non tamen
ibus consignata, tanto studio præ aliis com-
nisi simul prodere gestiamus animum nostrum
arum faventem.

THES. XI.

piam Theologorum de Fanaticorum Scriptis
isaret, causam allegans, qvod illa non legerit,
exerit, de illo parum sibi promittere potest
æprimis si talia scripta passim ab auditoribus
cium Doctoris sui desiderent.

THES. XII.

eologorum contra hæreticos seductores fer-
rincipum aut Magistratuum in eosdem ani-
atenus vel ab officiis publicis removentur vel
privantur, vel exilio mulctantur, ferre non
abunde significant, qvod Indifferentissimo
atqve fenestras apertas cupiant.

THES. XIII.

um hactenus Ecclesia JESU Christi per publi-
rædicationem & bene ordinatas institutiones
es habuit accessiones; ita postqvam Collegia
rectegve instituta in & per se nullam merentur
commendari & freqventari cœperunt, parum

34. 35. 36.